IN EPISTOLAM AD POMPEJUM INTER CYPRIANICAS LXXIV.

ADVERSUS DECRETUM S. STEPHANI PAPÆ I.

De non iterando Hæreticorum Baptismo.

DISSERTATIO CRITICA,

Qua illam una cum aliis quinque, & Concilio Carthaginiensi III. hactenus pro Cyprianicis habitis, Cypriano nunc primo abjudicat, ac Donatistis attribuit.

FRATER RAYMUNDUS MISSORIUS

FRANCISCANUS CONVENTUALIS

Pro Serenissima Veneta Republica Revisor Publicus, Romanique Cœnobii S. Dorotheæ trans Tiberim Alumnus.

Quamquam non desint qui hoc Cyprianum prorsus non sensisse contendant, sed sub ejus nomine a præsumtoribus, atque mendacibus fuisse confictum. S. Augustinus Epist. XCII. Ad Vincent. Rogat. al. XLVIII.

VENETIIS, CIↃIↃCCXXXIII.

Apud FRANCISCUM PITTERIUM Bibliopolam ad Signum Fortunæ Thriumphantis.

SUPERIORUM FACULTATE.

IN EPISTOLAM

S. CYPRIANI

EPISCOPI CARTHAGINIENSIS

AD POMPEJUM

EPISCOPUM SABRATENSEM.

CONTRA EPISTOLAM,

ET

DECRETUM

S. STEPHANI

PAPÆ

De non iterando Hæreticorum Baptiſmo.

DISSERTATIO.

NOVI cum Auguſtino lib. 2. de Bapt. cont.Donat.cap. 1. *quemadmodum ſoleat contriſtare Lectorem, quum ab eo libro, quem gerit in manibus, quando in aliquem nodum quæſtionis inciderit, in alium mittitur, ubi ejus ſolutionem requirat, quem forte non habet*. Icciroo appoſitum viſum eſt exemplum Cyprianicæ ad Pompejum Epiſtolæ hic exſcribere.

CYPRIANUS
POMPEJO FRATRI SALUTEM.

QUanquam plene ea quæ de hæreticis baptizandis dicenda sunt, complexi sumus in Epistolis, quarum ad te exempla transmisimus frater carissime, tamen quia desiderasti in noticiam tuam perferri quæ mihi ad literas nostras Stephanus frater noster rescripserit, misi tibi rescripti ejus exemplum, quo lecto magis ac magis ejus errorem denotabis, qui hæreticorum causam contra Christianos, & contra Ecclesiam Dei asserere conatur. Nam inter cetera vel supervacua, vel ad rem non pertinentia, vel sibi ipsi contraria, quæ imperite, atque improvide scripsit, etiam illud adjunxit ut diceret: *Si quis ergo a quacunque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam, cum ipsi hæretici proprie alterutrum ad se venientes non baptizent, sed communicent tantum*. A quacunque hæresi venientem baptizari in ecclesia vetuit, id est, omnium hæreticorum baptismata justa esse, & legitima judicavit. Et cum singulæ hæreses singula baptismata habeant, hic cum omnium baptismo communicans universorum delicta in sinum suum coacervata congessit[1]. Et precepit nihil aliud innovari, nisi quod traditum est, quasi is innovet, qui unitatem tenens, unum baptisma uni Ecclesiæ vindicat, & non ille utique, qui

qui unitatis oblitus mendacia & contagia prophana & motiones usurpat. Nihil innovetur, inquit, nisi quod traditum est: unde est ista traditio? utrum ne de dominica & Evangelica autoritate descendens, an de Apostolorum mandatis atque Epistolis veniens? Ea enim facienda esse quæ scripta sunt, Deus testatur, & proponit ad Jesum Nave dicens. Non recedet liber legis hujus ex ore tuo, sed meditaberis in eo die ac nocte, ut observes facere omnia, quæ scripta sunt. Item Dominus Apostolos suos mittens, mandat baptizari gentes & doceri, ut observent omnia quæcunque præcepit. Si ergo aut in evangelio præcipitur, aut in Apostolorum epistolis, aut actibus continetur, ut à quacunque hæresi venientes non baptizentur, sed tantum manus illis imponantur in pœnitentiam; observetur etiam & hæc sancta traditio. Si vero ubique hæretici nihil aliud quam adversarij & antichristi nominantur; si vitandi, & perversi, & a semetipsis damnandi pronunciantur: quale est, ut videantur damnandi a nobis non esse, quos constat apostolica contestatione à semetipsis damnatos esse, ut nemo Apostolos infamare debeat, quasi illi hæreticorum baptisma probaverint, aut eis sine ecclesiæ baptismo communicaverint, quando talia de hæreticis Apostoli scripserunt, & cum non adhuc hæreticæ pestes acriores prorupissent, nec dum quoque Marcion Ponticus emersisset, cujus Magister Cerdon sub Hygino tunc episcopo, qui in urbe nonus fuit Romam venit, quem Marcion sequtus addidit ad criminis augmentum, impudentius ceteris & abruptius in Deum Patrem

creatorem blaſphemare inſtituit, & hæreticum furorem ſacrilegis armis contra eccleſiam rebellantem, ſceleratius & gravius armavit. Quod ſi hæreſes conſtat poſtmodum plures & pejores extitiſſe, & ſi retro nuſquam præceptum eſt, neque conſcriptum, ut hæretico tantum manus in pœnitentiam imponatur, & ſic ei communicetur, & ſi baptiſma non niſi unum eſt, & intus eſt, & ſoli eccleſiæ divina dignatione conceſſum eſt, quæ iſta obſtinatio, quæve præſumptio, humanam traditionem divinæ diſpoſitioni anteponere, nec animadvertere, indignari & iraſci Deum quoties divina præcepta ſolvit & præterit humana traditio? ſicut per Eſaiam prophetam clamat & dicit: Populus iſte labijs honorificat me, cor vero eorum longe ſeparatum eſt a me. Sine cauſſa autem colunt me, mandata & doctrinas hominum docentes. Item dominus in evangelio increpans ſimiliter objurgans, ponit & dicit: Rejeciſtis mandatum Dei, ut traditionem veſtram ſtatuatis. Cujus præcepti memor beatus Paulus, monet ipſe quoque & inſtruit dicens: Si quis aliter docet, & non acquieſcit ſanis verbis Domini noſtri Jeſu Chriſti & doctrinæ ejus, ſtupore elatus eſt, nihil ſciens, diſcedendum ab hujuſmodi. Præclara ſane ac legitima traditio a Stephano fratre noſtro proponitur, ut auctoritatem nobis idoneam præbeat. Nam in eodem loco epiſtolæ ſuæ addidit & adjecit, cum ipſi hæretici proprie ad ſe venientes alterutrum non baptizent, ſed communicent tantum. Ad hoc enim malorum devoluta eſt eccleſia Dei & ſponſa Chriſti, ut hæretico-

rum

rum exempla sectetur, ut ad celebranda sacramenta cœlestis disciplinæ lux de tenebris mutuetur, & id faciant Christani, quod antichristi faciunt. Quæ vero est animi cæcitas, quæ pravitas, fidei unitatem de Deo Patre & de Jesu Christi Domini & Dei nostri traditione venientem nolle cognoscere? Nam si idcirco apud hæreticos ecclesia non est, quia una est, & dividi non potest: si ideo illic Spiritus Sanctus non est, quia unus est & esse apud prophanos & extraneos non potest: utique & baptisma, quod in eadem unitate consistit, esse apud hæreticos non potest, quia separari neque ab Ecclesia, neque a Spiritu Sancto potest: aut si effectum baptismi majestati nominis tribuunt, ut qui in nomine Christi Jesu ubicunque & quomodocumque baptizantur, innovati & sanctificati judicentur, cur in ejusdem Christi nomine illic & manus baptizato imponitur ad accipiendum Spiritum Sanctum? Cur ejusdem majestas nominis non prævalet in manus impositione, quam valuisse contendunt in baptismi sanctificatione? Nam si potest quis extra Ecclesiam natus templum Dei fieri, cur non possit super templum & Spiritus Sanctus infundi? Qui enim peccatis in baptismo expositis sanctificatus est, & in novum hominem spiritualiter reformatus, ad accipiendum Spiritum Sanctum idoneus factus non est? cum Apostolus dicat: Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis. Si potest apostolus hæreticos Christum induere, multo magis potest Spiritum Sanctum, quem Christus misit accipere. Ceterum major erit mittente qui missus est,

ut incipiat foris baptizatus Christum quidem induisse, sed Spiritum Sanctum non potuisse percipere, quasi possit aut sine Spiritu Christus indui, aut a Christo Spiritus separari. Illud quoque ineptum cum nativitas secunda Spiritalis sit, qua in Christo per lavacrum regenerationis nascimur, dicant quod possit quis apud hæreticos spiritualiter nasci, ubi Spiritum negant esse. Peccata enim purgare, & hominem sanctificare aqua sola non potest, nisi habeat & Spiritum. Necesse est concedant illic esse Spiritum Sanctum, ubi baptisma esse dicunt aut nec baptisma est, ubi Spiritus non est, quia baptisma esse sine Spiritu non potest. Quale autem est asserere & contendere, quod esse possint filii Dei, qui non sint in Ecclesia nati: Baptisma est enim in quo homo vetus moritur, & novus nascitur. Manifestat & probat beatus Apostolus dicens: Servavit nos per lavacrum regenerationis: si autem in lavacro, id est, in baptismo est regeneratio, quomodo generare filios Deo hæresis per Christnm potest, quæ Christi sponsa non est? Ecclesia est enim sola, quæ Christo conjuncta & adunata spiritualiter filios generat, eodem Apostolo rursus dicente: Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut eam sanctificaret, purgans eam lavacro aquæ. Igitur si hæc est dilecta & sponsa quæ sola a Christo sanctificatur, & lavacro ejus sola purgatur, manifestum est hæresim [quæ sponsa Christi non sit, nec purgari & sanctificari lavacro ejus possit] filios Deo generare non posse. Porro autem non per manus impositionem, qui nascitur accipit Spiritum

San-

Sanctum, sed in baptismo Spiritum Sanctum renatus accipit, sicut in primo homine Adam factum est. Ante enim eum plasmavit, & tunc insufflavit in faciem ejus flatum vitæ. Nec enim potest accipi Spiritus, nisi prius fuerit qui accipiat. Cum autem nativitas Christianorum in baptismo sit, baptisma autem generatio, & sanctificatio apud solam sponsam Christi sit, quæ parere spiritualiter, & generare filios Deo possit, ubi & ex qua, & cui natus est, qui filius Ecclesiæ non est, ut habere quis possit Deum patrem, ante Ecclesiam matrem? Cum vero nulla omnino hæresis, sed neque aliquod schisma habere salutaris baptismi sanctificationem foris possit, cur intantum Stephani fratris nostri obstinatio dura prorupit, ut etiam de Marcionis baptismo, item Valentini & Appellis, & ceterorum blasphemantium in Deum Patrem, contendat filios nasci? & illic in nomine JESU CHRISTI dicat remissionem peccatorum dari, ubi blasphematur in Patrem, & in Dominum Deum Christum? Quo in loco considerandum est frater carissime, pro fide & religione Sacerdotalis loci quo fungimur, an constare Sacerdotis Dei ratio in die judicii possit asserentis & probantis in acceptum referentis blasphemantium baptismata, cum Dominus comminetur & dicat: Et nunc præceptum hoc ad vos est o Sacerdotes, si non audieritis, & si non posueritis in corde vestro, ut detis honorem nomini meo, dicit Dominus omnipotens, immittam in vos maledictionem, & maledicam benedictionem vestram. Dat honorem

Deo,

Deo, qui unitatem & veritatem de divina lege venientem non tenens, hæresim contra Ecclesiam vindicat? Dat honorem Deo, qui apud eos qui in Dominum blasphemant, remissionem peccatorum dari judicat? Dat honorem Deo, qui hæreticorum amicos & inimicos Christianorum, veritatem Christi, & Ecclesiæ unitatem continere putat? Si sic honor Deo datur, si sic a cultoribus & Sacerdotibus ejus Dei timor & disciplina servatur: abijciamus arma, manus demus in captivitatem, tradamus diabolo ordinationem Evangelii, dispositionem Christi, majestatem Dei, divinæ militiæ Sacramenta solvantur, sacrorum cœlestium signa prodantur, cedat Ecclesia hæreticis, lux tenebris, perfidiæ fides, spes desperationi, ratio errori, imortalitas morti, caritas odio, veritas mendacio, Christus antichristo: & sic in dies singulos schismata & hæreses surgant, crebrius atque liberius excrescant, & serpentinis criminibus pullulantes adversus Ecclesiam Dei majoribus viribus venenorum suorum virus exprimant; dum illis advocatione quorundam, & autoritas præstatur & firmitas, dum baptisma eorum defenditur, dum fides, dum veritas prodit, dum id quod contra Ecclesiam foris geritur, intus in ipsa Ecclesia vindicatur. Quod si est apud nos frater charissime Dei timor, si tenor prævalet fidei, si custodimus Christi præcepta, si incorruptam atque inviolatam sponsæ ejus sanctitatem tuemur, si hærent nostris sensibus & cordibus verba Domini dicentis: Putas cum venerit filius hominis, inveniet fidem in terra?

ra ? quia fideles Dei milites, quia Deo fide & religione fyncera militamus, commiffa nobis divinitus caftra fideli virtute fervemus : nec confuetudo, quæ apud quofdam obrepferat, impedire debet, quo minus veritas prævaleat & vincat. Nam confuetudo fine veritate, vetuftas erroris eft: propter quod relicto errore fequamur veritatem, fcientes quia & apud Ezram veritas vicit, ficut fcriptum eft : Veritas valet & invalefcit in æternum, & vivit & obtinet in fœcula fœculorum : Hoc eft apud eam non accipere perfonam, nec differentiam, fed quæ funt jufta facit, nec eft in judicio ejus iniquum, fed fortitudo, & regnum, & majeftas omnium fœculorum. Benedictus Deus veritatis, quam veritatem nobis Chriftus oftendens in Evangelio fuo dicit : Ego fum veritas. Propter quod fi in Chrifto fumus, & Chriftum in nobis habemus, fi manemus in veritate, & veritas in nobis manet, ea quæ funt vera teneamus. Fit autem ftudio præfumptionis & contumaciæ, ut quis magis fua prava & falfa defendat, quam ad alterius facta & verba confentiat. Cui rei profpiciens beatus Paulus Apoftolus ad Timotheum fcribit, & monet Epifcopum non litigiofum, fed mitem & docibilem effe debere. Docibilis autem ille eft, qui eft ad difcendi patientiam lenis & mitis, oportet enim Epifcopum non tantum docere, fed & difcere, quia & ille melius docet qui quotidie crefcit, & proficit difcendo meliora. Quod ipfum quoque idem Apoftolus Paulus docet, præmonens, ut fi alio fedenti melius revelatum fuerit, prior taceat.

In compendio eſt autem apud religioſas mentes & ſimplices, & errorem deponere, & invenire atque eruere veritatem. Nam ſi ad divinæ traditionis caput, & originem revertamur, ceſſat error humanus, & ſacramentorum cœleſtium ratione perſpecta, quicquid ſub caligine ac nube tenebrarum obſcurum latebat, luce veritatis aperitur. Si canalis aquæ qui copioſe prius & largiter profluebat, ſubito deficiat, nonne ad fontem pergitur, ut illic defectionis ratio noſcatur, utrumne creſcentibus venis, in capite ſiccaverit, an vero integra inde & plena procurrens in medio itinere deſtiterit? At ſi vitio interrupti aut bibuli canalis effectum eſt, quo minus aqua perſeveranter continua ac jugiter flueret, refecto & confirmato canali ad uſum, atque potum civitatis aqua collecta eadem ubertate,atque integritate repræſentatur qua de fonte proficiſcitur. Quod & nunc facere oportet Dei Sacerdotes præcepta divina ſervantes, ut in aliquo ſi nutaverit, & vacillaverit veritas, ad originem Dominicam, & Evangelicam, & apoſtolicam traditionem revertamur, & inde ſurgat actus noſtri ratio, unde & ordo & origo ſurrexit. Traditum eſt nobis quod ſit unus Deus, & Chriſtus unus, & una ſpes, & fides una, & una Eccleſia, & baptiſma unum non niſi in una Eccleſia conſtitutum, a qua unitate quiſquis diſceſſerit, cum hæreticis neceſſe eſt inveniatur, quos dum contra Eccleſiam vindicat ſacramentum divinæ traditionis impugnat. Cujus unitatis ſacramentum expreſſum videmus etiam in Cantico canticorum, ex perſona Chriſti dicen-

centis : Hortus conlusus , soror mea , sponsa mea, fons signatus , puteus aquæ vivæ , Paradisus cum fructu pomorum . Si autem Ecclesia ejus hortus conclusus est , & fons signatus : quomodo in eundem hortum introire , aut bibere de fonte ejus potest , qui in Ecclesia non est ? Item Petrus ipse quoque demonstrans , & vindicans unitatem mandavit & monuit nisi per unum baptismum solum unius Ecclesiæ salvari non posse. In arca , inquit , Noe pauci , id est octo animæ salvæ factæ sunt per aquam , quod & nos similiter salvos faciet baptisma . Quam brevi & Spirituali compendio , unitatis Sacramentum manifestavit. Nam ut in illo mundi baptismo , quo iniquitas antiqua purgata est , qui in arca Noe non fuit , non potuit per aquam salvus fieri : ita nec nunc potest per baptismum salvus videri , qui baptizatus in Ecclesia non est , quæ ad arcæ unius Sacramentum Dominica unitate fundata est . Observatur ita que a nobis & tenetur frater charissime , explorata & perspecta veritate , ut omnes , qui ex quacunque hæresi ad Ecclesiam convertuntur , unico & legitimo baptismate baptizentur , exceptis his, qui baptizati prius fuerant , & sic ad hæreticos transierunt . Hos enim oportet cum redeunt acta pœnitentia per manus impositionem solam recipi , & in ovile unde erraverant a pastore restitui . Opto te frater charissime semper bene valere .

AD SYSTEMA DONATIANUM

AXIOMA I.

Disputantes ob pertinacem opinionem omnia invertunt.

SI quam Homines disceptationem instituunt magis partium studio, quam veri inquirendi cupiditate, continuo omnia miscent; & perinde ac forensium litium actores, unum idemque jus ad sensum sibi servientem contorquent. Quod quidem est Hæreticis præter ceteros usitatissimum. Atque utinam tam nefaria ingeniorum scabies in solis Hæreticis consisteret, nec in Catholicorum etiam Scholas tanto impetu irrupisset. In quibus [mœrens dico , atque etiam horrens], tot tantaque ingenia oleum nedum, & operam perdunt in rancidis, molestissimisque quæstinculis, verum etiam nemo unus deprehenditur, qui ad eas accedat, ut quod vero simillimum est inquirat, ac seligat; sed ut eas, quibus primo se dedidit partibus, tanquam aras, ac focos quo jure quave injuria tueatur. Hinc illud omnium acerbissimum effectum est, tam pertinaciter illos in hac factiosa fallaciloquentia permanere, ut ad fidei dogmata stabilienda tempus deficiat, animusque. Annon Æthiopem lavant qui per quadringentos, & amplius annos immensa, atque infinita volumina utrinque prodiderunt? Ecquis a priori sententia di-

discessit? Quid si discessisset? castra mutasset, non bellum. Et sane castra mutavit Ambrosius Catherinus, qui ab Angelico Doctore defecit. At cur mutavit? ob caussam ambitiosam verius quam literariam. Equidem ipse virum talem, ac tantum condemnare non ausim, sed nec plane absolvere; tantum quippe dedecoris, ac turpitudinis fieri potuit Catherino, quod Magistrum suum vere Angelicum per summam injuriam deseruerit, quantum iis quidem fieri existimo, qui tam obstinate Angelico, vel subtili Doctori in singulis illorum effatis, atque opinationibus adhærescunt, ut nefas putent vel latum unguem ab iis abscedere. Quibus proinde quadrat Tullianum illud de Pithagoreis lib. pr. de Nat. deor. *Quos ferunt, si quid affirmarent in disputando, quum ex his quæreretur: quare ita esset? respondere solitos: ipse dixit. Tantum opinio præjudicata poterat, ut etiam sine ratione valeret auctoritas*. Quibus tum Ethnicorum, tum Catholicorum exemplis maxime admonemur, quanto pervicacius Hæretici errores suos tueantur. Quos inter illud cum Augustino affirmare non dubitem: Donatistas dubio procul fuisse omnium Hæreticorum pertinacissimos, atque adeo ut Diabolo pertinaciores ab ipso eodem Augustino sint appellati Epist. 89. al. 167.

AXIOMA II.

Ob pertinacem opinionem disputantes, unum eumdemque Auctorem in una, eademque re damnant, & probant.

Unum, idemque summum Tertulliani exemplum satis, superque foret ad hujusce Axiomatis veritatem confirmandam; sed nec operæ pretium est ad Hæreticos, multo etiam minus ad Antiquiores confugere, cum aptissima nobis duo posteriora sæcula suppeditent; non quidem in gregariis Scriptoribus, nec in qualicunque schola, sed in Viris doctissimis, præstantissimisque gymnasiis, iisdemque Catholicis, e quibus Sorbonica Accademia jure, meritoque summo præ ceteris in pretio habita est, & habetur adhuc. Hæc vero non semel unum eumdemque Auctorem in una eademque re probavit, damnavitque. Ochamum certe veluti hæreticum olim damnaverat; nunc vero uti Magistrum observat. Contra Henrici VIII. Angliæ Regis divortium a Catherina Austriaca probavit primo; dein rejecit, quum non multos ante annos omnino oppositum statuisset pro Augustino Farnario cive Januensi. Ante declarationem, quam de Potestate Ecclesiastica sanxit Clerus Gallicanus Anno 1682. præcipua, ac perpetua Ecclesiæ Gallicanæ nota, filialis fuerat, ac plena obedientia erga Sedem Apostolicam, quam ut Matrem unicam, & falli nesciam, soli-

lique Deo subjectam Gallicani Patres, & Concilia uno ore confitentur. Eam tamen imminuere conati sunt in cœtu Cleri Gallicani Parisiis coacti Anno 1682. Quod equidem magnopere non admiror; multa siquidem concurrebant, ex quibus pertinax opinio, qua ad oppositum statuendum sunt incitati, facile dignosci possit. Quid multa? Iidem ipsi Gallicani Episcopi, qui ei declarationi subscripserant, ultro palinodiam cecinerunt, & factum pro infecto se habere, non modica doloris, & pœnitentiæ significatione, apertissime professi sunt. Placuit in tempore ea tantum exempla in rem nostram adducere, ut quo clarius perspiciet Lector in Gymnasio totius terrarum orbis celeberrimo, quam mobilitatem secum ipsa pugnantem opinionis afferat pertinacia; eo etiam facilius sibi persuadeat, cui improbo, ac discrepanti usui Donatistis fuerit unus idemque Cyprianus.

AD SYSTEMA S. AUGUSTINI CONTRA DONATISTAS.

AXIOMA I.

Nemo unus est Auctor, cujus systema ad Hypothesim non deflectat.

QUam libet gravis, probatusque Auctor absolutum in scribendo systema præseferat, ac profiteatur, sensim, & imprudens ad hypotheticum dilabatur oportet. Quam ego quidem ne-

necessitatem tribus potissimum caussis adjudico: Primum, quod nulla extet veritas tam perspicua, tamque perspecta, cui ingenium hominum aliquando non obversetur. Tum quod firmior, atque vehementior ex hypothesi, quam ex positione absoluta conficiatur argumentatio. Deinde quod adversa sententia tametsi minus probabilis, sive etiam falsa, communius tamen quam probabilior, aut vera acceptetur. Quod attinet ad primam, quam posuimus caussam, maximo jam illud, perpetuoque usu compertum est: nihil quicquam esse, ac fuisse in quolibet doctrinæ genere tam exploratum, cui non pauci aperte ac libere non repugnarint. Ex qua dubitandi, ne dicam rixandi libidine emersit antiquissima illa Pyrrhoneorum secta, quorum seges usque eo hoc tempore aucta est, tantosque sibi spiritus sumsit, ut omnem jam nunc Europam pervaserit, universamque scientiam commacularit. Frustra autem verum illis aperire, eosque in viam reducere contendas, nisi comiter cum iis agas, multa nimirum permittendo, quæ forent enimvero neganda, ut sic illos eorum pene armis confodias. Quæcunque enim absolute pronunciabis, Pyrrhoneus absolute negabit. Quocirca optimam, ac firmissimam contra scepticum argumentationem conficies, si hanc duxeris ab eadem ipsa, quam ille persequitur hypothesi: exemplo Christi Domini, quem quum falso criminati fuissent Judæi quod in Beelsebub Principe dœmoniorum dœmonia ejiceret, sic *ab inversione*, ut Rhetores vocitant, *seu ad hominem*,

pla-

placet dialecticis calumniam repulit: Si ego in Beelzebub ejicio dæmonia, filii vestri in quo ejiciunt? Qui enim adversantis tibi sententiæ absurda patefacias, nisi te ejusdem hypothesi accomodes? Quod quidem tutissime agis; non enim affirmare putatur qui quicquam sub conditione asseverat.

Præterea multo acrius adversarium premes, atque urgebis, si illius hypothesi potius quam tuis absolutis positionibus adhæseris. Plerumque enim veræ rerum notiones expeditius, clariusque gignuntur, si argumentum ducatur ab iis quæ nec sunt, nec fieri possunt; quod argumenti genus non modo a Scoto præceptum est, sed & probe usitatum. Etenim si illud demonstrare quis velit: omnipotentiam Deitatis appositum esse, non Trinitatis, id facile assequetur ab eo qnod esse nequit, ita argumentando. *Si Deus non esset Trinus, esset adhuc omnipotens*. Qua de re BB.mo Apostolo Paullo nil aptius visum est ad caritatis amplitudinem asserendam, quam multa, eaque præclara opera recensendo, quorum ille quædam nondum gesserat, sed nec postea ab illo gesta comperiuntur.

Demum operæ pretium est, conclusionem ducere ab hypothesi, cum opposita sententia vehementi, tametsi vitiosa vulgi opinatione combrobata est. Prætereo Mosis exemplum, quod Solem & Lunam duo luminaria magna appellavit, non quod ipsa per se ceteris sint astris majora, fixis præsertim, sed quod in speciem tantum ob ampliorem discum, majoremque illustrationem vulgo majora sint, atque dicantur, quæ est Vitrichii

ſententia merito exploſa a Petro Maſtricht in vendiciis veritatis Sacræ Scripturæ in rebus philoſophicis; quo in opere ſalebroſe quidem, [aut ego fallor], ſed tamen ad rem ſatis, inficiatur Maſtricht, Solem & Lunam duo luminaria magna appellata fuiſſe ob reſpectum ad alia ſydera, ſed quod ipſa per ſe magna ſint; Sol quidem major, & Luna minor, ſi invicem conferantur. Unum præ omnibus ſuccurrit exemplum Servatoris noſtri Jeſu Chriſti, qui Cæſari tributum ſolvit, ne ſcandalum Ethnicis inferret, atque Judæis, quibus non ſatis conſtabant naſcentis Eccleſiæ jura, & immunitas; quanquam ipſe faſſus eſſet, ſe ſuoſque Apoſtolos a tributis pendendis immunes eſſe præter ceteros homines. Multaque id genus de regno Chriſti, quæ Defenſor declarationis gallicanæ maximi facit, minimi facienda ſunt; quod tantum in hypotheſi aliena ſint pronunciata; quam hypotheſin Defenſor declarationis ne cogitatione quidem attigit. Eadem plane hypotheſi non unus ex latinis Patribus eum locum Gen.6.A.2. *Videntes Filii Dei Filias hominum quod eſſent pulchræ, acceperunt ſibi uxores*, de Angelis bonis explicavit, quod hæc ſententia ab antiquiſſimis Patribus accepta plurimum conduceret ad homines feminarum conſortio avertendos. Eodem tandem pacto ad confirmanda potiſſima Chriſtianæ fidei myſteria ſybillinis libris uſi ſunt maximi Eccleſiæ Patres. Plurimum igitur intereſt Criticorum Hominum id ſedulo animadvertere, Scripturæ, & Patres abſolute loquantur, an ex hypotheſi? & quod proprius

prius

prius ad meum attinet institutum, an in rebus gestis in caussa Donatistarum idipsum præstiterit Augustinus? quod fuse, forte etiam diligenter per me explicabitur Theoremate II.

AXIOMA II.

Principes Scholæ Magistri in ipso Theologico Systemate magnam partem sunt hypothetici.

Si qua Scriptorum secta absoluto Systemati insistere debeat, sane Homines Theologi, Magistri præsertim videntur insistere omnino debere; qui tamen nihil minus quam ceteri identidem ad hypothesin convertuntur. Principes hic Theologicæ Scholæ Præceptores adducere præstat. S.Thomam Aquinatem, & Johannem Dunsium Scotum; alterum quæ Thomistica, alterum quæ Scotica pars duces habet & coriphæos, & sane non injuria. Quicquid enim in re divina pro eorum temporum inclinatione ordine, ac ratione tradi poterat, acute uterque, ac sapienter est assecutus. Nunc si quis illud mature perpendat: duo hæc præclarissima Methodicæ Theologiæ lumina præcipuum institutæ disciplinæ firmamentum ab Aristotelea philosophia mutuatos fuisse, continuo in vitium eos omnes vocabit qui summa contentione jurant in verba Magistri; quod & prudentiæ, & veritatis amori omnino repugnaret, tametsi illorum Doctores Systemati absoluto reapse adhærescerent. Jam vero quanto

apertius repugnet, si iidem ipsi, quos Auctores habent pleraque quæ præcipiunt, ex hypothesi id faciant. Id vero ex hypothesi plerumque fecisse, unico, eodemque generali intuitu percipi potest: nimirum, universas pene positiones, quas illi statuunt, Aristotelis placitis applicare, quæ si corruant, & positiones nutare necesse est. Ecquem latet gravium prudentumque virorum, utrique Doctori præstantissimo non difficile futurum fuisse rem Theologicam dignius, atque etiam utilius pertractare ea plane formula, qua veteres Ecclesiæ Patres tum Græci, tum Latini eam pertractarunt; atque illud ipsum, quod a Magistro sententiarum acceperant institutum persequi, & expolire. Sed repugnabat temporum consuetudo; iis enim sæculis turbulentissimis Theologiam tradiderunt, quibus Europæi Homines Friderico II. Auctore Aristotelis Philosophiæ, quæ dudum ex Arabum lacunis emerserat, se totos dediderunt; & quod caput est novi precipitisque consilii, Sacrosancta Catholicæ Religionis mysteria ea methodo pertractare dedignabantur, quæ Aristoteleis placitis non responderet. Hinc potissimum factum est, ut quicunque sese retroactis sæculis contra Aristotelem exsereret, continuo velut hæreticus a Scholasticis Hominibus jactaretur, quod ejus Philosophi Doctrina pro more sæculi cum re Theologica implicita esset, & colligata. Ceterum eruditus quisque per se probe novit: Doctorem Angelicum græcorum quorumlibet Philosophorum sententiis fuisse optime imbutum, Epicuri

curi præſertim. Quod & in Scoto nullo negocio dignoſci poteſt. Huic ſiquidem nil moræ fuit quo minus ſe Epicuri ſectatorem aperiret in ſtatuenda forma corporis organica. In iis vero, quæ ad abſtractorum contemplationem pertinent, non obſcure Platoni adhæſit. In Phiſicis demum Pythagoreus ſemel atque iterum deprehenditur. Quamobrem merito vitio vertitur a claris, integriſque Viris Pyrrhoniſmus ille, qui, proh dolor! in theologicam diſciplinam invectus eſt; Qui verius corrupto ac præpoſtero judicio, quod de Procerum ſuorum ſyſtemate Aſſeclæ ſequiores effórmant, tribuendus eſt. Quod enim falſo abſolutum uſquequaque opinantur ſyſtema, hypotheticum magna ex parte deprehenditur.

AXIOMA III.

Hiſtorici ipſi ad Hypotheſin quandoque confugiunt.

Nihil tam in proclivi eſt, quam a rerum geſtarum narratione ad fabulam dilabi. Conciones fere omnes, quas Hiſtorici effingunt, ex caractere rerum, aut Perſonarum, quas ejuſmodi Scriptores aut perſequntur, aut imitántur, deſumtæ ſunt. Sive partium ſtudio, ſive voluntate, ſeu ob factorum inſcientiam, ſeu ob ingenii exercitationem, ſive tandem ob prudentem œconomiam, multa augent, multa extenuant, multa invertunt, prætereunt multa. Quæ per Xenophontem conſcripta eſt Cyri vita, tota quanta eſt Perſonæ hy-

 potheſi

pothesi accomodatur. Sed non desunt ex profanis scriptoribus, Romanis præsertim, qui non modo eleganter, ac sapienter, verum etiam accurate, atque incorrupte res a priscis hominibus gestas literis consignarint. Verum, si unum Cæsarem demas, habent & isti hypotheses suas. Hic rumorem sequitur, ille interpretatur, alter exscribit, inquirit alter. Ita istiusmodi scriptores suis erroribus sunt obnoxii. Sed nos de sacris Historicis agimus, de quibus longe melius sentiendum est. Sed proh dolor! ex tot, tantiques Ecclesiæ rerum Scriptoribus, si Canonicos excipias, vix unum, aut alterum, aut ne vix quidem, deprehendas, qui cum Ethnicis Romanarum rerum Scriptoribus sit conferendus. Quod jampridem sapientissimus Canus lib. 11. Locor. Theologic. cap. 6. graviter, ut ille solet, his verbis declaravit. Quidam enim eorum (de profanis Historicis sermonem habet Canus) aut veritatis amore inducti, aut ingenui pudoris verecundia usque adeo a mendacio abhorruerunt, ut jam pudendum fortasse sit, Historicos gentium quosdam veraciores fuisse quam nostros. Dolenter hoc dico potius quam contumeliose, multo a Laertio severius vitas Philosophorum scriptas, quam a Christianis vitas sanctorum; longeque incorruptius, & integrius Suetonium res Cæsarum exposuisse, quã exposuerint Catholici, non res dico Imperatorum, sed Martyrum, Virginum, & Confessorum. Illi enim in probis aut Philosophis, aut Principibus, nec vitia, nec suspiciones vitiorum tacent, in improbis vero etiam colores virtutum produnt. No-

stri

ſtri autem plerique vel affectibus inſerviunt, vel de induſtria quoque ita multa confingunt, ut eorum me nimirum non ſolum pudeat, ſed etiam tædeat. Poſtremo ſacræ antiquitatis veſtigator crebro ſibi, ac diligenter proponat aureum illud monitum *& quicquid Græcia mendax audet in Hiſtoria.* Ego certe quod meum eſt Euſebii Cæſarienſis Hiſtoriam de Orientalium, atque Afrorum anabaptiſmo commentitiam judicio, & niſi me valde amo, etiam demonſtravi. Ad Euſebium tamen in ſuſcepta controverſia non ſemel confugiendum fuit; abſolute, an ex hypotheſi? videant qui hæc legunt.

AD S. CYPRIANI SENTENTIAM

AXIOMA I.

Quicquid præcipuæ cujuſpiam eximii Scriptoris virtuti repugnat, ſuppoſititium habendum eſt.

Pervulgata Rhetorum præceptio eſt: ſententiam bene moratam eſſe oportere; nam morem explicat ſententiam proferentis. Veriſſime Benius advertit ad part. 44. Poetic. Ariſt. *Sententiæ proprium eſſe inſitum animi ſenſum apte, & convenienter exprimere, ita ut animus in illa veluti pelluceat, & mens auditoribus percommode declaretur.* Hinc communis quidem, ſed prudentiſſima animadverſio illa eſt: ita de Hominum ſenſibus judicare, quemadmodum illi loquuntur; nam mentis interpres locutio

tio eſt. Illud etiam inde conſequitur:cujuſpiam virtutis poſſeſſorem, non mente, animoque tantum, ſed ore inſuper eidem adhæreſcere; quandoquidem homines ipſi conſcelerati,quod experimento confirmatum eſt, tametſi a virtute longiſſime abſunt, verbis certe quidem inhærent.Quod ex virtutis pulchritudine oriri bene judicavit Cicero lib. pr. offic. Species enim honeſti ſi oculis cerneretur, mirabiles amores (ut ait Plato) excitaret ſapientiæ. Vix namque tam improbum hominem deprehendas, qui virtutem aliquam non præſeferat, qua ſe præditum falſo opinatur. Quod ſi perditiſſimis hominibus, atque Erronibus ipſis commune eſſe conſpicimus, quanto congruentius Viris honeſtiſſimis? quanto etiam juſtius, atque amplius ſanctis, & Deo caris? Qui etſi chriſtianæ cujuſque virtutis faſtigium attigerint, aliquam tamen invenias ita ſingulis præcipuam, ut merito characteriſtica ſit appellanda. Si quid ergo repugnans principi illi, ac ſingulari virtuti in SS. Patrum lucubrationibus invenire contingat, continuo veluti nothum atque alienum rejiciendum eſt; illiſque potius adjudicandum, qui eos ſibi potiſſimum advocabant, quos corruptis, depravatiſque moribus ſuis magis obverſari intelligebant. Tum etiam facilius calumnia ſe prodit, quum veterum, & Catholicorum Patrum dicta, facta, aut ſcripta non aliunde ad nos devenerint, quam ex hæreticorum traditione. Tum certius adhuc, quum ad ea ipſa veluti ad ſingulare certiſſimumque aſylum crebrerrime confugiunt. Idipſum in Donati-
ſtis

ſtis cum BB. Cypriano pronum eſt invenire. Princeps Cypriani virtus, & Auguſtino commendatior eximium ſane fuit unitatis ſtudium, quod in Novatianiſmi oppugnatione perpetuo declaravit. Primarium contra crimen, quod identidem Auguſtinus Donatiſtis exprobrabat ſchiſma fuit, quod in Africa jandiu a majoribus ſuis excitatum, obſtinatiſſime, ac per ſummum nefas fovebant. Ita princeps Cypriani virtus per primarium Donatiſtarum crimen commaculata eſt; amor inquam unitatis ab ſchiſmatis libidine. Num ſanus quiſquam exiſtat, qui ſedulo rebus hiſce perpenſis, atque collatis, de fallacia non dubitet? Eſto ſane magni nominis viro, compertæque virtutis id eſſe cum ceteris hominibus commune, ut labi, ac peccare poſſit; peccaverit etiam, per me licet; at nunquam in omnium oculis in eam virtutem peccabit, qua ipſe ab omnibus celebratur; quod ſi peccaverit, jam tum a priſtina laude, & gloria excidiſſe injuria procul ducendus eſt. Intelligunt ne Cyprianicæ ad Pompejum Epiſtolæ aſſertores, quid tandem ſit, Cypriano hanc Epiſtolam adjudicare? *quæ periculum pernicioſæ diſſenſionis habuit* magni Auguſtini judicio. nempe idem prorſus ac ſi Paullus Apoſtolus deſidiæ in verbo Dei prædicando; Franciſcus Aſſiſias publicæ ſuperbiæ; ac Johannes Eleemoſinarius, ac Thomas Valentinus Epiſcopus notoriæ avaritiæ poſtularentur.

AXIOMA II.

Sanctissimorum Scriptorum stilus non tam ex locutionis charactere, quam ex charactere Personæ ducendus est.

Quod Simiæ præ hominibus sunt, idipsum plane sunt & Hypocritæ si cum solidæ, nec fucatæ virtutis hominibus conferantur. Illæ nonnisi gestum hominis exprimunt. Hi proborum hominum simile habent nihil præter speciem. In eo discrepant a simiis Hypocritæ, quod quum sint ex hominum genere, facile locutionis modum, qui bonis congruat fingere audeant, quanquam vera virtute sunt destituti; quum ut Cicero notavit 1. Offic. sint omnium hominum nequissimi. Verum, tametsi extimam virtutis formam referre moliantur, non ita referunt, ut simulatione virtutis verum scelus usquequaque contegere valeant. Qui Catonem ita collequentem exaudiat, ut ejus sermo sit exitiosus Reipublicæ, dubio procul errabit qui se Catonem exaudiisse affirmet. Quid, quod stilus solum Catonem redolet? Quid postea? si hæc locutio Catoniani animi characteri refragatur. Porro id credendum quod est verosimilius; vero autem simillimum est, posse quemquam Catonianam locutionem æmulari; at longissime abest a vero, Catonem in apertam Reip. perniciem loqui potuisse. Quamobrem non Cato is est qui loquitur, sed Catonis Simia. Adsit, per me li-

licet, Catonianæ locutionis character; nisi adsit Catonianus animus, nunquam mihi Catonianus sit sermo. Hoc Axioma quanti sit ponderis in vero indagando, vix verbis dici potest, neque enim certiorem ducem, non in literariis modo, sed in civilibus ipsis rationibus hominum prudentia sequi potest, sive Personas spectes, sive res ipsas. Si de Personis agatur, falluntur persæpe hominum prudentissimi; sin autem de rebus; maxima terrarum Orbis imperia collabuntur, quod ad hoc Axioma animus non appellitur. Unum & alterum unico quidem, sed maximo exemplo, quod est apud Appianum de Bellis Romanorum civilibus lib. 2. sub oculis pono. M. Antonius Triumvir Cæsare interfecto, quod Consul foret, ad Senatum orationem habuit, in qua singulare Romanæ libertatis studium patefecit. Senatus Antonii verbis fidem adhibuit, nec non Tullius ex tempore M. Antonium summis laudibus celebravit. Verum Antoniani animi character Antonianæ locutioni repugnabat. Antonii quidem animus idem atque Tarquinii; locutio vero Simia Catonis. At Cicero, ac Senatus locutionis characterem cum charactere Personæ permiscuerunt, atque ita sese, ac Remp. perdiderunt. Epistola ad Pompejum respondet characteri locutionis Cyprianicæ; sed multum abest a charactere Personæ Cypriani. Non itaque Cyprianum vides, sed Cypriani Simiam.

AXIOMA III.

Si quidpiam in Scriptoribus occurrat, quod illorum Sententiæ pluries, ac serie propositæ adversetur suppostitium est.

Vir fortis commendatur: homo pervicax sustinetur: homo inconstans omnibus odiosus. Idem ipse J.C Dominus noster Ephesinum Episcopum calidum, aut frigidum satius quam tepidum exoptabat. Qui mobilis est opinando, merito in Pyrrhonismi suspicionem vocatur;& qui alterutri parti non consentit, utrique suspectus fiat oportet. Nihil Viro gravissimo indignius, nihilque turpius, quam serio, & vere pronunciata, temere, atque injuria revocare; præsertim si in priori sententia confirmanda nervos omnes intendisset, & sapientum oculos, ac admirationem in se convertisset. Quod generatim dictum est, nullo negocio Cypriano aptari potest, qui maxima constantia, & gravitate Romanum Pontificem, quin & Stephanum ipsum, ut suo loco præstabimus, Summo in honore habuerat, & a Novatianensibus oppugnatum enixe vendicaverat. Plurimæ id genus observationes, quam super Patrum lucubrationibus Critici prodiderunt, vetant, quominus exempla in rem adducam.

AD

AD S. OPTATI MILEVITANI SYSTEMA

AXIOMA I.

Argumentum ab Auctoritate neganti in quæstione facti, nisi obstet locus affirmans æquæ auctoritatis, plurimum probat.

SI controversia juris agatur, qui ab auctoritate neganti desumitur locus, nullius pene momenti habendus est; sin autem facti, maximi. Hæc tamen loci negantis vis, & auctoritas certis cancellis concluditur. In eo primum sita est, ut Auctor, ex quo negans ducitur argumentum, fuse, & ex instituto eam quæstionem pertractarit. Tum, quod res ab Auctore prætermissa neutiquam prætermittenda foret, ita caussa, quam ille agebat, postulante. Deinde si auctoritas affirmans nullius sit ponderis; puta, nisi aliunde quam ex hæreticorum lacunis profecta esset. Postremo inexpugnabilis erit, si omnino desit auctoritas affirmans, eorum præsertim, qui caussam ex adverso pro se dixerunt. Tum etiam maxime, si Auctor, unde negans capitur argumentum, multo plura, longeque graviora adversus suam partem recensuerit, quæ sibi fuerint ab Adversariis objecta. Ne vero quisquam arbitretur, me eorum nomine, qui fuse, & ex instituto quæstionem facti pertractarunt, historicos dumtaxat intelligere, placet & istud ad-

vertere: potius quam Historicos caussarum actores esse intelligendos, quippe qui non modo fuse ac diserte, quod solent historici, sed inquirendo, & disceptando de re gesta sermonem instituerint, quod minime historicis est usitatum. Homines emunctæ naris intelligunt ipsi per se, quorsum evadant istiusmodi cautiones; nimirum vergunt ad S. Optatum Milevitanum, qui fuse quidem, atque ex instituto omnium princeps facti controversiam adversus Donatistas suscepit; e quibus Parmenianus omnium primus pro parte Donati apologiam prodidit, quam Optatus confutavit. Unius autem & alterius tale, ac tantum de Cypriano silentium præter modum suspicionem auget, Epistolam Cypriani ad Pompejum; immo & universa, quæ pro Anabaptismo de Cypriano circumferuntur fuisse a Donatistis post Optatum, ac Parmenianum conficta, fortasse paullo ante Augustini tempora, vel prioribus Augustini temporibus.

AXIOMA II.

Si duo Scriptores æquæ dignitatis unam, eamdemque caussam pertractent; alter quidem absolute, alter vero in hypothesi; præferendus est is qui absolute ei, qui in hypothesi.

Vir optimus, & laudatissimus, qui facti quæstionem absolute agit diligentissimus ac vera-

tacissimus jure quodam suo habendus est. Propterea nil sibi reliqui facit quo minus omnia, quæ adjacent rei gestæ, inquirat, perpendat, ac judicet. Secus qui in hypothesi quæstionem instituit de facti ver tate nihil propemodum vestigat, sed plurimum de qualitate. Quæstio sit: an Q. Ligarius Africæ Provinciam Tuberoni pro Cæsare postulanti denegarit? Paratus accesserat Cicero, quum Cæsar id neque per se sciret, neque aliunde audire potuisset, ut Cæsaris ignoratione ad salutem hominis miseri abuteretur. Sed quoniam diligentia inimici investigatum est quod latebat, confitendum erat, & omissa controversia omnis oratio ad Cæsaris clementiam conferenda. Hic habes enimvero confitentem reum, quem nisi haberes jam quæstio ab absoluta positione recideret in hypothesin. Sit nunc altera quæstio: an T. Clelius [quem obiter meminit Cicero in oratione pro Sex. Roscio] in conclavi cubans cum duobus Filiis adolescentibus, & mane jugulatus inventus ab iisdem Filiis suis sit interemptus? Finge vero tria. Primum: Judices non ad id mentem adjecisse quod Tullius memorat: aperto scilicet ostio dormientes eos repertos; quod Judicibus sapientissimis in caussa potissimum fuit, cur Filios judicio absolverent, omnique suspicione liberarent [quod quidem nescio, an hoc tempore satis esset ad omnem parricidii suspicionem amovendam.] Jam tum oratio traducenda erat a statu demonstrativo ad conjecturalem; nil enim aliud succurrebat ad Filios defendendos, quam caussas omnes afferre,

[si

[si quidem ulla afferri potuisset], quibus illis utcunque licuisset Patrem suum interimere. Quæstione sic constituta, quis in re tam ancipiti serio affirmet, Clœlium a Filiis occisum fuisse? propterea quod Filiorum Patronus bene factum tueatur id, quod ipse omnino ignorat, an fuerit factum. Pone nunc, Clœlii Filios, quo jure, quave injuria parricidii nomine a Judicibus liberatos. Pone & alterum, hos ante annos Virum sanctissimum, atque integerrimum extitisse, qui Clælii interfecti certum quemdam hominem detulerit, & hunc quidem omnium nequissimum; qui ut tantum crimen a se amoveat, innoxios Clælii Filios recriminatur, eumque rumorem spargit in vulgus, quo Judices adducti Clælii Filios caussam dicere ex vinculis cogunt. Fama proinde per verum Clælii occisorem fraudolenter pervulgata, multisque conjectationibus confirmata, eo Filiorum Patronum adducit, ut orationem a statu conjecturali transferat ad qualitativum; idque sibi probandum sumat jure, vel casu Clælium a Filiis occisum. Fac tandem judicio intercepto, post aliquot item annos iterum caussam constitui. Duo faciunt contra Filios: veri interfectoris accusatio, & concessio Patroni ex hypothesi. Duo item Filiis adstipulantur: hominis honestissimi testimonium, & nefaria accusatoris vita. Ecquis nisi injustus, & imprudens Filios parricidii accuset? eo dumtaxat adductus, quod jandiu in hypothesi ab illorum Caussidico facta sit parricidii confessio. Idem prorsus Cypriano contigisse perspicuum est. S. Optatus

tus

tus accuſat rebaptiſmi Donatiſtas. Aliquanto poſt Donatiſtæ voces ſpargunt per famam, & populum SS. Cyprianum fuiſſe Rebaptizantium ſigniferum. Res in contentionem vocatur ſuperſtite S. Auguſtino, qui Eccleſiæ, & Cypriani defenſionem ſibi dat. Eccleſiam in eo, quod juris erat abſoluto ſyſtemate defendit: Cyprianum, in eo quod erat facti, defendit ſyſtemate hypothetico. An poſſit quiſquam ſine injuria poſt accuſationem abſolutam S. Optati, ob ſolam confeſſionem hypotheticam S. Auguſtini, Cyprianum Anabaptiſmi in ſimulare? quid dixi Anabaptiſmi tantum? dicendum fuerat & pervicaciæ, & inobedientiæ, & ſchiſmaticis, & ſchiſmatis tandem, ſi una hæc ad Pompejum Epiſtola Cyprianica eſſe affirmetur. Quid etiam dixi tantum: extare accuſationem abſolutam S. Optati? dicendum, & hic fuerat extare propemodum defenſionem Cypriani abſolutam, ſi quæ ſuperiori Axiomate adnotavi, probe introſpiciantur.

THEOREMA I.

Ex Donatiſtarum Syſtemate Cypriani ad Pompejum Epiſtolæ confictionem reſerare.

PROPOSITIO I.

Calumnia Donatianæ Sectæ Firmamentum.

OMnes omnium generum hæretici mendaciis affluunt, & calumniis, quandoquidem ſunt omnes Filii Dæmonum. Verum Donatiſtæ ex ſectis univerſis nedum mendaciores fuerunt, ſed & eſſe debuerunt; Fuerat ſiquidem calumnia unicum, idemque ſummum donatiani erroris firmamentum, qua ſublata, & hunc corruere oportebat. Namque illud Donatiſtis erat propoſitum, ut Dei Eccleſiam apud ſe dumtaxat conſiſtere mentirentur; quod ajerent: reliquos Chriſtianos omnes fuiſſe a *Traditoribus*, *ac Thurificatoribus* pollutos, ſe vero incorruptos, & inviolatos permanſiſſe. Hinc eo proceſſerunt, quo illos ſuſcepti erroris ratio ferebat, nam a ſolis juſtis Sacramenta adminiſtranda eſſe affirmarunt. Sed illud repugnabat, quod identidem Auguſtinus objiciebat, & apud Donatianos plurimos deprehendi peccatores, quod argumentum fuſe non minus quam diſer-

diſerte perſecutus eſt, totis tribus libris contra Epiſtolam Pitiliani, cujus Epiſtolæ patrocinium ſuſcepit Creſconius. Hujus autem reſponſum ita compendio excepit Auguſtinus. *Quod totum breviter ita dici poteſt. Conſcientia dantis attenditur, non ſecundum ejus ſinceritatem, quæ in illa videri non poteſt, ſed ſecundum famam, quæ de illa ſeu vera, ſeu falſa eſt, quia videlicet ejus eſt hominis, qui etſi ſceleratus occultus ſit ſufficit accipienti, quod bonæ ſit exiſtimationis, nondum cognitus, nondum judicatus, nondum ab Eccleſia ſeparatus.* Quamobrem magnopere intererat partis Donati ſuorum famam tueri, & Catholicorum nomen obſcurare quo illud credulis, & imperitis imponerent, Donatianos tantum idoneos eſſe Sacramentorum Miniſtros, reliquos non item. Quæ deinceps calumnia uberrimam calumniarum, & mendaciorum ſegetem procreavit. Iccirco Auguſtinus in confutatione ſermonis de baptiſmo a Donatiſtis compoſiti, duabus partibus conſtare ait *verborum ſtrepitu, & calumnioſis criminationibus.* Atque id perpetuum fuit Auguſtini inſtitutum in compluribus illis, gravibuſque libris ab illo confectis contra Donatiſtas, ſophiſmatum refutatio, & calumniarum exploſio.

dam Catholicorum impunitatem, atque innocentiam. Una hæc responsio Donatianum Systema funditus evertebat; id namque unum Donatistæ contendebant, nimirum: Catholicos omnes commaculatos fuisse per Majorum suorum a fide defectionem; quo ex facto illud consequi putabant: baptismum a Catholicis nec rite suscipi, nec rite dari. En quo tandem Donatistarum caussa evaserat, scilicet: aut nullam esse Christi Ecclesiam, aut a solis Donatistis asservari Qua re cognita Judex Imperatorius pro Catholicis sententiam tulit, nec Donatistæ [ut solebant] judicium interturbarunt, sed illum jus dicere siverunt, & se damnari passi sunt. Tum Donatistæ videbantur rebus suis desperare; at illi majores spiritus resumentes, & ad novas calumnias confugientes, Cæsaris Delegatum criminati sunt, quod auro corruptus pro Catholicis pronunciasset. Nec solum caussæ meritum, sed & ordinem calumniose criminabantur. In ea ipsa collatione instituerunt, ne caussa forensibus formulis, sed sacris scripturis ageretur: Actum est ex sententia Donatistarum; qui nihil minus convicti iterum; at e contrario instituerunt, ut ad fori formulas rediretur, quibus continuo Catholici obsecundarunt. Tum illi fori obtentu ampliorem contendendi, tempusque terendi occasionem nacti, testati sunt diem pertransiisse, judiciumque pro præscripto habendum esse. Atque ita sententiam suam feliciter instaurabant calumnias calumniis superstruentes.

Duo autem sunt genera calumniarum, quibus

universum Donatistarum Systema continetur. Alterum: veram sanctitatem falsa doctrina inquinare, quod egerunt cum Firmiliano, & Cypriano. Alterum: veram doctrinam falsæ sanctitatis insimulare; sic omnino egerunt cum Marcellino, Osio, Melchiade, Macario, Cœciliano, atque aliis bene multis. Quod illis cum veteribus prospere cessit, cum coævis non immutarunt. Namque ubi duo sibi repugnare senserunt, sui dogmatis falsitatem, & Augustini doctrinam, confestim alteram altera obscurare aggressi sunt. Doctrinæ suæ falsitatem simulata sanctitate obduxerunt; & veram S. Augustini doctrinam fictæ sanctitatis insimularunt. Utrique calumniæ ansam dederunt Augustini nondum baptizati, & vita liberior, & lapsus in Manichæorum hæresim. Quantum libet Augustini sanctitatem imminuerent, ejus tamen doctrina perstabat, atque vigebat; hinc sibi idoneum visum est, quæ duo erant maxima in Augustini doctrina potissimum perstringere, orationis vim, & inventionis acumen; sive enim eloquentiam in Augustino spectarent, sive dialecticam, utramque in illo facultatem ad fallendum appositam evulgabant. Quum vero hoc illis effugium perspicua sacrorum codicum auctoritate Augustinus intercluderet, reponebant illi: sacras Scripturas non scripto, neque clanculum, sed ore, atque in templo esse tractandas. Ita calumniarum præsidio validiores Catholicorum impetus sustinebant. Quæ duæ calumniosi Systematis rationes, & in repugnando ver-

versutia, & in oppngnando pertinacia, potissimum in caussa fuerunt Augustino, cur tot, tantosque libros contra Donatistas conscripserit; in quibus, si eadem toties repetit, nil mirandum, quoniam Donatistæ ita responsiones suas immutabant, perinde ac si Augustinus nunquam ea recitasset, quæ iccirco iisdem fere verbis repeti oportebant.

PROPOSITIO III.

Nihil magis Donatistæ affectabant, quam morum Sanctitatem.

PRæcipua, quæ a Magistro Donato ad Donatianos pervenit hæreditas, hypocrisis fuit. Ille quidem satis improbe eximiis, quibus adeo pollebat, animi dotibus abusus est, quas ad Ecclesiam divexandam, suamque partem augendam, & confirmandam, proh dolor! convertit. His proinde Donati Dotibus adeo ejus asseclæ abripiebantur, ut illi divinos honores impertirent, eumque inauditis, & exuberantibus laudibus perpetuo celebrarent. Donatistarum Patronus quidam agens pro Donato apud Proconsulem, Ecclesiæ vindicem errorumque eversorem Donatum asseruit. Quo in celebrando usque adeo progressi sunt, ut multa ab eo præter naturæ vim gesta prædicarent. Publicum errorem Donati vita provexit, ut si qua alia temperans, & præclara. Ejusdem exemplo Donatiani confirmati singulari vi-

PROPOSITIO IV.

Nihil tam alienum a Donatistis, quam morum sanctitas.

SI Donatistas omnium mortalium nequissimos fuisse dicam, non mentiar, erant enim Hypocritæ. Et sane Hypocritæ præter ceteros consceleratos homines quam maxime odioso Luporum nomine notati sunt, a quibus propterea veluti ab exitio cavendum monuit Divinus Magister. Hoc ipsum experimento, & vestigatione assècutus est Cicero lib. pr. Offic. a quo ita traditum est *Totius autem injustitie nulla capitalior est, quam eorum, qui tum quum maxime fallunt, id tamen agunt, ut viri boni esse videantur.* Itaque non injuria Augustinus Petilianum, Donatistarum primipilum, Lupum appellavit. Longum foret, ac præter hujusce Theorematis institutum singula Donatianorum flagitia proponere, & explanare. Satis superque erit, & ad præsentis positionis finem accomodatius, si Donatistarum facinora strictim, cursimque attingamus, & indicemus verius, quam exponamus. Quis enim satis enarret superbiam plane diabolicam, qua se Sanctos prædicabant, tametsi se improbos agnoscebant, tamque inverecunde de schismate gloriabantur; Catholicos contra malos dicebant, quorum nedum colloquium, sed & consessum refugiebant. Quis avaritiam commemoret primum

Donatistarum crimen? Quis luxuriem vel cum Sanctimonialibus sacrilegam, vel cum Virginibus intolerabilem, vel cum nuptis mulieribus flagitiosam, vel cum *innuptis, sed non incorruptis* inexplebilem, vel tandem cum viduis turpissimam impune recenseat? Quis autem tam ad explicandum facilis, ut Donatistarum iram, quin & furias, ita ut par est, ennarret? Parum illis fuerat armato militi obsistere, Episcopos Catholicos deterrere, & in ipso Concilio in furorem agi, nisi & Parricidam reciperent, & in Basilicas irrumperent, easque cædibus fædarent, nisi & Circumcelliones furiarent. Qui vero ceteris parcerent, qui in seipsos crudelissime sæviebant? Martyrii obtentu se excæcant, precipitant, enecant, suffocant. Quam adeo immanem, seu rabiem, seu desperationem, secum ipse Augustinus animo revolvens injuria procul Donatistas *pejores latronibus* nuncupavit. Unum præ ceteris legere præstat apud Augustinum inauditæ, & plusquam ferinæ immanitatis exemplum. Invidia jam tanta erant, ut ea excæcatos dixerit Augustinus. De impudentia & supra dixi, & identidem dicendum. De pertinacia præcipuam propositionem instituimus. Prætereo Circumcellionum ingluviem, & ebrietatem; notiores enim sunt, quam ut debeant hoc loco recitari; at impietatem prætergredi minime possum. Impium fuit, Catholicos pro Paganis habuisse, Episcorum Septuagenarium e sede dejecisse, cum Apianis convenisse, suam fidem Gothis accomodas-

dasse; impium itidem universum terrarum orbem damnasse. Sed magis certe quidem impium in Basilicas impetum fecisse, Altaria diruisse, Calices fregisse, & desertori Juliano nedum morem gessisse, sed & illum justitiæ vindicem prædicasse. At quam maxime impium, & plane horrendum, ac prodigiosum, Eucharistiam Canibus projecisse, ob quam tam nefariam impietatem signa iræ divinitus evenerunt, nam canes protinus rabie correpti sacrilegos Donatistas remorderunt. Denique vix, aut ne vix quidem, vitium ullum tam nefarium, tamque inusitatum reperies, in quo se non exercuerit Donatistarum improbitas.

PROPOSITIO V.

Donatistarum falsa doctrina, & modica scientia.

TAmetsi falsa doctrina est, non continuo scientiam omnem excludit. Origenis ac Tertulliani exempla hanc thesim confirmant. Donatistis enimvero utrumque defuit, & doctrinæ sanitas, & scientiæ suppellex. Rem sane supervacaneam, quin & suspectam aggrederer, si Donatianæ sententiæ errorem mihi refutandum susciperem. Satis hoc, superque præstitit Augustinus. Satis hæc hæresis per duo Concilia Romanum, & Arelatense I. convulsa est. Id potius demonstrari impune, atque opportune posse videtur, Donatistis nedum falsam fuisse doctrinam, sed & scien-

tiam exiguam. Ex tam magno Donatianorum Antiſtitum numero præcipuum doctrinæ ſuæ periculum fecerunt Parmenianus, Petilianus, Gaudentius, Emeritus, ac Fulgentius, præter Epiſcopalem ordinem unus extitit Creſconius Grammaticus. His omnibus unus repugnavit Auguſtinus, unuſque omnes refutavit, convicit, irriſitque; ſolumque Fulgentium curare videtur qui cum iccirco officioſe agit. Idemque Parmenianum nihil eorum quæ aſſumebat probare tradit. Petilianum vero *maledicum* vocat *conviciatorem, non veridicum diſputatorem*. Gaudentii argumentationes *falaciſſimas* vocat, *vaniſſimaſque rationes*. In diſceptatione habita Cæſariæ cum Emerito in majori Eccleſia, narrat, fuiſſe illum a ſe convictum, atque identidem obmutuiſſe. Fulgentio nimirum obſequitur, ſerioque reſpondet, cujus probationes in ſpeciem validas fuiſſe teſtatur. Creſconius reliquis ſagacior non ſivit modicam ſibi ſcientiam ab Auguſtino exprobrari; ſed illum occupavit, ingenue faſſus, ſe ſatis parum ſacris literis eruditum, quam confeſſionem perbelle ridet Auguſtinus. Quum ſemel a Creſconio reprehenderetur de minus recta patronimici nominis declinatione, quod ſcilicet Donatiſtas non Donatianos Donati Aſſeclas appellaverit, & hic facete Creſconium ludificatur, eique morem gerit. Ex quo intelligimus omni tempore Grammaticos doctis, præclariſque viris inſolentius inſultaſſe, & ſcribillandi, & ſcriptitandi libidine, plerumque extra Chorum cantare conſueviſſe.

Ve-

Verum & illud animadvertendum occurit: Catholicis item Episcopis curtam fuisse doctrinæ supellectilem, demptis Optato Milevitano, & Augustino; cui conjecturæ magno mihi sunt argumento, & cunctorum silentium, & donatiani schismatis diuturnitas. Id clarius innuit disputatio Catholicos inter, ac Donatistas modo laudata; quam quum cupidius in Episcopali conventu in deliberationem adductam, Catholici omnes expeterent, & communi suffragatione statuerent, refragatus est senior inter Episcopos; quippe qui omnium prudentissimus, præteritisque periculis edoctus, suis fortasse minus ad agendum idoneis perspectis, nec paribus parti Donati, non nimium iis fidebat, quos proinde a disceptatione abstinere jubebat. Quod si demum acquievit, assignandum id est maximæ, in qua Augustinum habebat, existimationi, quem demum ad disceptandum delectum intellexit.

PROPOSITIO VI.

Donatianum Systema Impenetrabile.

PRæcipuus, idemque inextricabilis difficultatis nodus, quo Catholici omni tempore præpediti sunt in Donatianis rebus enarrandis explicandisque, in ordine situs erat inexplicabili, quo Donatistæ agebant, ac disputabant, Catholicis quidem formidato, sed minime comprehenso. Quem ordinem animadvertit, atque

etiam reformidavit Optatus Milevitanus. *Sic cuncta malignitate quadam* [Optatus ait] *ordinasse vos constat, ut in una specie operis species alias impleretis; nam omnia, quae a vobis facta sunt, aut dicta quis poterit explicare?* Hinc non semel comperitur, Augustinus ipse, non ita intime, ut res postulabat, donatianum systema fuisse assecutus. Modo enim Donatianis Episcopis exprobrat Circumcellionum scelera; modo fatetur, iisdem Episcopis horum facinora displicuisse. Quae judiciorum dissensio ex duplici tantum caussa profecta est. Primum ex praestanti Augustini probitate, qui quum nonnullos Donatianos Episcopos de Circumcellionum immanitate conquestos exaudiisset, illorum querimoniae fidem adhibuit. Deinde ex perpetua tum rerum, tum verborum repugnantia, quam Donatistae agentes, ac disputantes impudentissime ostentabant; cui quidem repugnantiae usque eo Catholicos consuefecerant, ut interdum doctiores ex nostris, eosdemque perspicaciores in sententiarum discrepantiam adduxerint. Ceterum Circumcellionum flagitia Donatianis Episcopis non modo improbata non fuisse, sed & mordicus propugnata, testis est idoneus, & conscius Fulgentius ipse, quicum, utpote ceteris Donatistis doctiore, mitius egit Augustinus. Ille vero dictis, & factis ex Sacris Codicibus comparatis vel mortem quam sibi Circumcelliones consciscebant, enixe propugnavit; cui valide repugnavit Augustinus. Verum enim vero res est intellectu difficil-
li-

lima, qui tandem fieri potuerit, ut homines, *umbram rigidæ severitatis ostendentes* tot tantisque Circumcellionum inauditis, manifestisque criminibus consentirent; neque magnum quod ab Imperatoribus incommodum, neque gravius quod a Catholicis odium Circumcellionum caussa illis obvenire poterant, aut persentiscerent, aut pertimescerent.

Sed nec illud percipi omnino potest, qua mente, quave audacia Cæcilianum a Romano Pontifice, a duobus Conciliis, ab Imperatore, ab Ecclesia universa, a Donatistis compluribus omni culpa liberatum acerbius insectarentur, vetus ac suppositum crimen perpetuo in eum conferentes, cujus expers totius Orbis oraculo iterum ac tertium pronunciatus fuerat. Majorem adhuc difficultatem afferunt præconia illa ut præclara, ita & sacrilega, quibus Donatistæ Julianum Christi desertorem cumularunt, si conferantur cum rigido illo fidei studio, quod Donatiani Episcopi tantopere præseferebant. Postremo, ne longius abeam, quonam tandem modo alienam fidem nancisci posse sperabant qui nemini custodirent? qui palam, solemnique ritu concessa e vestigio negarent?

PRO-

PROPOSITIO VII.

Incomprehensum Donatistarum Systema reseratur.

VIdear ego fortasse Lectoribus meis omnium audacissimus, qui rem omnibus imperviam reserare aggrediar. Quis enim illustret quod obscurum fuit Augustino? Si me rogant: Nemo prorsus. Neque ego tam demens qui id mihi arrogem. Quis Augustino perspicacior? Fateor. Quis rerum Donatianarum aut scrutator magis, aut magis conscius? Verissime dictum. Sed quis Augustino aut sanctior, aut prudentior? Icciro quod scientia aperiebat, caritas occultabat; quodve perspicacia suggerebat, prudentia dissimulabat. Augustinus namque, ut sequenti Theoremate explanabimus, hypotheticum systema, & quidem ex sententia Donatistarum, utpote utilius atque expeditius, prætulit absoluto; & hoc fuit prudentiæ. Invertisset porro propositum sibi systema si Donatistarum fraudes consectatus esset, veluti consectatus est Optatus Milevitanus, qui absolutum systema persequitur; neque enim aliud in libris omnibus, quos contra Donatistas conscripsit sibi proposuerat Augustinus, quam schisma dirimere, & Donatianos ad Ecclesiæ unitatem revocare; & hoc fuit caritatis. Præterea, si quæ post ipsum ex subdolo Donatiano systemate mala evenere, prospexisset

xisset Augustinus, non dubito quin conniventiam ac dissimulationem suam temperasset. Sed nec dubito, si cuipiam alteri ante me donatianas fallacias vestigare quid opus fuisset, veluti mihi maxime opus fuit, quin ipse per se clarius forsitan, solidiusque idipsum assequi potuisset. Ita mihi Pater luminum adsit, qui revelat condensa, ut, ad cujus laudem hæc suscepta est disquisitio, ejus numine perficiatur.

Ab Cœciliani Episcopi Carthaginiensis ordinatione primo a Donato, post etiam a Donatistis oppugnata, initium sumsit schisma, atque hæresis Donatistarum. Cæcilianum irritæ ordinationis postulatum Romæ apud Meltiadem Pontificem caussam dicere cogunt. Meltiades caussa cognita Cœcilianum innocentem, riteque ordinatum pronunciat. Donatistæ spe frustrati, itemque intelligentes, quantum suæ caussæ apud Ecclesiam universam derogaret Romani Pontificis adversa sententia, Meltiadem ipsum irrite ordinatum caussantur; quod dicerent a Marcellino, Idolorum quondam cultore, ordinatum fuisse. Ita Romani Pontificis judicium subter fugiebant. Interea seu primævi, seu posteri Donati Asseclæ inceptam in Marcellinum calumniam perfecerunt, tantaque struxerunt calliditate, ut eorum temporum Catholicis non penitus displicuerit; & ad hæc usque tempora sit propagata. Perfecerunt autem, Concilium ex integro confingentes, quod Sinvessanum dixerunt ex Episcopis plerisque Afris, ut nomina portendunt, coactum, & numero CCC.

 for-

fortasse ut Nicæno æquarent; seu verius opponerent; quo in Concilio novo, & insusitato judicii genere, uno eodemque tempore Summus Pontifex appellatur, convincitur, absolvitur. S. Augustinus vere non minus quam libere hanc Marcellini a fide defectionem *calumniam* vocat Donatistarum. Satis etiam indicatur, Augustini temporibus Sinvessanæ Synodi acta nondum excogitata fuisse. Commenti sunt itaque Donatistæ vel post Augustini obitum, vel statim post magnam Collationem Carthaginiensem: atque ita commenti sunt, ut insignis calumniæ recens structæ non nimium Catholicos tæderet. Primum Marcellinus constituitur, atque Idolatriæ postulatur. Tum ille negat factum. Post Testes aducuntur. Postremo habent confitentem reum; atque hæc sententia pronunciatur, si quidem sententia diceuda est an potius dimissio. *Juste ore suo condemnatus est, & ore suo anathema suscepit maranatha, quoniam ore suo condemnatus est. Nemo enim unquam judicavit Pontificem, nec Præsul Sacerdotem suum, quoniam prima sedes non judicabitur a quoquam.* En capitalis Donatistarum fallacia maximo astu confecta. Catholici præsertim Afri Marcellini lapsum ægre tulissent, sed non ægerrime; neque enim facta nimium curabant, quæ tamen plurimi faciebant Donatistæ, qui ex ejusmodi factis jus eruebant. Reliquum vero calumniæ facile probaretur, quum demum de Pontifice septuagenario ageretur, metu mortis perterrito, blanditiis, donisque cæsa-

reis

reis illecto, a Præsbyteris, Diaconibusque suis derelicto, cum Petro lapso, cum Petro pœnitente, ac tandem Summo Pontifice, qui a nemine mortalium judicari poterat. Synodica hæc sententia in Concilio frequentissimo pronunciata Romano Concilio placuisset, Clero item,& Plebi universæ. Res enimvero accidit ex sententia Donatistarum. Calumnia isthæc tam concinne, tam sagaciter composita fuit, ut Catholicorum posteri cum Marcellini pœnitentiam,tum vero Synodicam sententiamConcilii commentitii quotannis solenni ritu celebraverint; atque adeo celebrent; nil penitus advertentes: Donatistas Sinvessana acta commentos, longe plus Romanæ Sedi eripuisse, quam donasse; obtentu siquidem damnati, itemque absoluti Marcellini, immunitatem a quocumque humano judicio Romano Pontifici elargiuntur, cui tamen adimunt in fide constantiam. Quanquam ne immunitatem quidem jure Romani Primatus ei concedunt; sed jure *Primæ Sedis*, quod jus in Sinvessano decreto Ecclesiis quibuscunque Patriarchalibus, Primatialibus, Arciepiscopalibus, uno verbo Metropoliticis communicatur; nomine etenim *Primæ Sedis*, ab Afris præsertim, ejusmodi Ecclesias designari, perspicuum fecit eximius Controversiarum Scriptor M. Antonius Cappellus ex mea Conventualium familia in Dissertatione de Appellationibus Ecclesiæ Africanæ ad Canones Mileritanos. Cujus appellationis communitatem si Binius animadvertisset, fortasse tot leves conjecturas pro vendicanda Sinvessana Sy-

 nodo

nodo prætermisisset. Neque enim certissimum Apostolicæ Sedis judicium, & soli Deo subjectus Romani Pontificis Primatus tam levibus fundamentis innititur, ut semper suspecti, hoc vero tempore certissime apocryphi Concilii auctoritate indigeant. Pusilli animi argumentum est in caussa tam gravi, tamque ampla plurimis gravissimisque momentis confirmata, tam levia consectari, quæ si accuratius expendantur, officiunt verius quam prosint. Annon hoc Sinvessani Concilii judicium respondet præfationi ad Concilium III. Carthaginiense ab iisdem Donatistis Santissimo Cypriano suppositæ? in qua non modo Episcopis *Primæ Sedis*, sed & minorum quarum libet Ecclesiarum immunitas a quovis humano judicio tribuitur, etiam ab œcumenico Concilio. Id enim Donatistis solenne fuit omnia ea comminisci, quibus & contra Romanorum Pontificum, Conciliorumque judicium tergiversarentur. Quo vero pacto Apostolicæ Sedis sub Meltiade sententiam subterfugerint modo explanavi; qua item ratione Conciliorum, Arelatensis præsertim, judicium a se depulerint, & modo indicavi, & nunc apertius refero.

Nescio an audacius, sed sane subtilius, feliciusque ab unius, & alterius judicio, Meltiadis, dico, atque Arelatensis I. una eademque, nec multum dissimili calumnia evadere conati sunt. Rumor erat (Donatistarum verius quam Catholicorum) Stephanum R. P. decretum suum ad Cyprianum misisse, quo cautum erat, ne ab Hære-

re-

reticis baptizati iterum abluerentur. Quid huic rumori superstruxerunt Donatistæ? Calumniam omnium acerbissimam, & hanc inter se finxerunt fallaciam: Cyprianum Stephani decreto accepto ad Pompejum Episcopum, ut suspicor suppositum, Apostolici Decreti exemplum misisse. In quibus Cypriani ad Pompejum literis duo item comminiscuntur ejusdem generis ac duo superiora. Alterum pro se, pro Catholicis alterum. Decretum Stephani Papæ, quod Catholicæ fidei favebat, priori loco apponunt; illud vero tam preceps effingunt, tam inordinatum, tam incompositum, ut nullo negocio in ipsum Auctorem torqueri posset; sed in quo expressum firmumque Stephani præceptum perspicue habetur; quod & Romani Pontificis summam auctoritatem declararet, & Stephani successoribus pergratum foret. Contra Donatistæ ex Cyprianicæ Epistolæ confictione tantum nacti sunt emolumenti, quantum sibi animo proposuerant; nimirum ut Romani Pontificis Decretum in una eademque caussa refellerent, non illud Meltiadis tantum, verum & quodcunque adversus Donatistas a Meltiadis successoribus olim sanciretur. Quod ut impune, & quam minima possent turpitudine admitterent, temporum longinquitati, multo etiam magis perturbationi fidentes, id in tempore excogitant: Cyprianum Pontificio decreto accepto vehementer repugnasse, & modo plane donatiano. Quod commentum ut eo facilius imprudentibus, credulisque hominibus, nec

admodum de antiquitate sollicitis imponerent, id monumentum effingunt; quod esset Cypriano usitatum, ac pene quotidianum, epistolam scilicet ad Episcopum Afrum, quod ut sibi facilius quisque persuaderet, Cyprianicam locutionem diligentissime æmulati sunt. Lenitatem porro, patientiam, æquanimitatem Cypriani lædere oportebat, sed fuco fidei ac Religionis, tales tantasque maculas obtegere existimarunt; & sane tam specioso nomine prætexerunt;ex quo Donatistæ duo sunt consecuti. Et eximium sibi certissimumque Patronum, omnium maxime Afris recolendum, compararunt; & firmissimum, quod Catholicis afferebatur ab Sede Apostolica præsidium, debilitarunt.

Sub hæc erat & aliud, itemque gravissimum Donatistis diluendum, judicium inquam Concilii Arelatensis I. quo Cecilianus absolutus, & Anabaptismus damnatus est. Quid igitur Donatistæ? Audendum fuit; Quid enim aliud facerent Donatistæ? Quocirca susceptæ calumniæ seriem nil quicquam deserentes continuo simulant: Cyprianum accepto Stephani decreto Concilium ex tribus Africæ Provinciis Carthaginem convocasse, in quo cunctis suffragiis hæreticorum baptismus rejectus est. Neque id satis habuerunt; quum non id tantummodo spectarent, ut Concilium Concilio opponerent; sed illud maxime, ut cujuscunque Concilii auctoritatem eluderent; quod ut obtinerent, finxerunt, Cyprianum hac synodo coacta sic Patribus fuisse prefatum. *Audistis Col-*

legæ

legæ dilectissimi quid &c. Superest ut de hac ipsa re quid singuli sentiamus proferamus, neminem judicantes, aut a jure communionis aliquem, si diversum senserit, amoventes. Neque enim quisquam nostrum Episcopum se esse Episcoporum constituit, aut tyramnico terrore ad obsequendi necessitatem Collegas suos adegit, quando habeat omnis Episcopus pro licentia libertatis, & potestatis suæ arbitrium proprium, tanquam judicari ab alio non possit, cum nec ipse possit alterum judicare. Sed expectemus universi judicium Domini nostri Jesu Christi qui unus, & solus habet potestatem; & præponendi nos in Ecclesiæ suæ gubernatione, & de actu nostro judicandi. Anne ista digna sunt Cypriano? An gravius quicquam confingi potuit ad judicium Concilii quantumlibet generalis subterfugiendum? Non diffiteor Cyprianum a Donatistis simulationis nota accersitum fuisse ob magnificam illam, subdolamque denunciationem; sed tum demum veteri mendacio novam blasphemiam adjecerunt, quum injusti, ac perniciosi schimatis recitata ipsa eadem sententia ab Augustino convincerentur. Quid autem solliciti sumus de perpetua hac in Donatistis dictorum repugnantia?

Illud potius inquirendum videtur: quonam tandem præsidio ab justissima complurium Imperatorum indignatione sese vendicaverint. Quando quidem Cæsares tot tantarumque turbarum, quas Donatistæ in Ecclesia excitabant, tandem aliquando pertæsi, multimodis in Donatistas ani-

ma-

madvertunt : in hos capite, in illos relegatione, in alios exsilio, in alios confiscatione, in omnes multa. Hic enimvero Donatistis fulmen, ut ajunt, Jovi eripiendum; & clava Herculi extorquenda erat. Nam quid ingenium contra vim moliretur? Hic vero incredibilem, planeque horrendam Donatistarum versutiam perspicere libet; & animositatem non intueri tantum, sed & admirari. Donatistæ id suspicati, quod erat rei consentaneum; se nimirum a Catholicis apud Cæsarem identidem delatos, duo ad rem architectantur: alterum, quo Catholicos ab istiusmodi delationibus, & ad Cæsarem perfugiis averterent: alterum, quo armato adhuc militi, si ita facto opus esset, non solum fortiter resisterent, sed & impune. Ut illud obtinerent docent primum ex sacris literis Christianis vetitum esse belligerare, atque a Summis Potestatibus opem implorare. Dein nil sibi reliqui fecerunt, ut Cæsaream gratiam aucuparentur; quin usque eo prætervecti sunt, ut iniquis, impiisque laudibus transfugam illum teterrimum, perditumque Julianum celebrarint, apud quem unum justitiam deprehendi prædicabant. A quo propterea, ut magis magisque ecclesia Dei scinderetur, Donatistæ postliminio Donati, sibique ereptis dudum Basilicis restituti. Alterum item adoriuntur, quo commerita, quæ ab Imperatoribus metuebant supplicia, a se arcerent; non amplius ad verba confugiunt, sed ad verbera. Ad verbera inquam, nam infinita ferocium, improborumque

juve-

juvenum multitudo a Donatiſtis commota, atque inſtigata ſubito in agros erumpit, fuſtibus armata, non ferro, quod evangelica lege interdiceretur ferro dimicare; nullis certis ſedibus conſiſtens, ſed hac illac per loca patentia diſcurrens, & in Ruſticorum caſas impetum faciens, Circumcellionum, ſeu Circellionum icc irco appellata *genus hominum agreſte, & famoſiſſimæ audaciæ*. Quæ Catholicis perditiſſimi ejuſmodi homines intulerunt mala, quæ admiſerunt ſcelera, incredibilia ſunt, inaudita, infinita. Nulla ab oculis libido, nullum a manibus facinus, nullum ab illorum corpore flagitium abfuit. Latrocinia, direptiones, incendia, clades, ſcortationes, ſtupra, adulteria, ingluvies, ebrioſitas; uno verbo crudelitas latronibus incognita, Barbariſque inuſitata; immānitas tandem brutis ipſis animantibus deteſtanda. Tot tantarumque ærumnarum, ſcelerumque cumulus, & colluvies ex ſententia Donatiſtarum obvenit; Qui ut duplicem ſibi propoſitum finem conſequerentur, duplicem cautionem adhibuerunt. Primum licentiam illis ad omne facinus immoderatam largiti ſunt, ut ea ſolum perficerent, quæ ipſi juſſiſent. Deinde Clericos ſuos iiſdem Circumcellionum catervis præfecerunt, ut ea tantum juberent quæ ipſis placuiſſent. Circumcelliones vero dedita opera a Donatiſtis fuiſſe conductos, expreſſoque mandato ad Catholicos omnimodis divexandos inſtigatos fuiſſe, teſtatur & illud Optatus, & hoc ſæpius Auguſtinus. In tanta rerum pertubatione Donatiſtæ tria ſemper diſpoſuerunt

finem, modum, ac purgationem. Eo ſpectabant Donatiſtarnm vota, ut una tot Carnificum crudelitate, & Catholicis Epiſcopis ſilentium imponerent, timoremque injicerent; & Cæſareis ſatellitibus valide repugnarent. Utrumque reapſe obtinuerunt. Quod ad Catholicos attinet. *Uſque adeo prorſus non ſolum laicis, vel quibuſlibet Clericis, ſed ipſis quoque epiſcopis Catholicis quodammodo proponebatur dura conditio. Aut enim tacenda erat veritas, aut eorum immanitas perferenda*. Auguſtinum præter ceteros reformidabant, iccirco *Irati furioſa loquebantur, atque ſeductorem deceptoremque animarum Auguſtinum eſſe & privatim, & publice conclamabant; & ut lupum occidendum eſſe in defenſionem gregis ſui dicebant, & tractabant; omniaque peccata a Deo indubitanter eſſe credendum poſſe dimitti iis, qui hoc facere, ac perficere potuiſſent*. Sed Deus Eccleſiæ ſuæ vicem miſeratus malum tantum avertit. Jure optimo a Catholicis tam effrænatæ violentiæ Donatiſtæ incuſabantur; at hi *negabant ad ſe pertinere quod fecerint* Circumcelliones. *Fingunt, ſe ignorare tale hominum genus, vel omnino ad ſe non pertinere contra omnes homines ore impudentiſſimo affirmant*. Quo circa opus fuit Catholicis non ſemel ab Imperatoribus ſuppetias petere, veluti a Conſtantino, & Conſtante petierunt, ſed impetratæ nullæ fuerunt; nam Donatiſtæ fuſtibus ſuis *adverſum leges Romanas tutos eſſe arbitrantur*. Et ſane fuſtibus ſuis Conſtantino, & Conſtanti Auguſtis obſtiterunt. Verumtamen ve

riti

riti ne copiæ cesareæ expedirentur ad comprimendam cum Circumcellionum furias, tum Donatistarum audaciam, Circumcelliones Donatistis Auctoribus *non solum fustes tornare, sed etiam ferrum vibrare, & fundas circumagere didicerunt.* Fortasse rumor erat, armatum parari militem, quo Circumcelliones compescerentur, & justæ de Instigatoribus pœnæ sumerentur. Quid tum Donatistæ? Illi quidem sibi metuentes, remedium quibusque Catholicis inopinatum opportune excogitarunt. *Taurino Comiti scripsisse dicuntur, hujusmodi homines corrigi in Ecclesia non posse; mandaverunt, ut a supradicto Comite acciperent disciplinam. Tunc Taurinus ad eorum literas ire militem jussit armatum per nundinas, ubi Circumcellionum furor vagari consueverat. In loco Octavensi occisi sunt plurimi, detruncati sunt multi.* Sub hæc Circumcelliones perterriti, non profligati manum suam confirmant, ferociusque erumpunt, acrioremque in Catholicos impetum faciunt. Re ad extremum adducta, totaque Africa Circumcellionum turmis misere infestata aperto marte tot cladibus occurrendum erat. Donatistæ suorum criminum conscii, non ignorabant, qualem sibi, ac quantam tum Catholicorum, tum Imperatorum invidiam peperissent, horum consilium anteoccupant, crudelius quicquam, & plus quam immane molientes. Circumcellionibus utrum eligendi optionem dant; necari, aut ad Catholicam reverti. Sed hoc pusilli, & infidelis animi, illud excelsi planeque Christiani esse mentiuntur, at non esse

tam præclarum martyrium a Catholicis expectandum, quando quidem verendum erat, ne Catholicorum contactu polluerentur, & martyrio frustrarentur: satius esse, mortem sibi consciscere, non autem manus afferre, quod id nonnisi ferro, ac laqueo perfici posset sed ferrum Christianis vetitum, laqueum non quidem vetitum, sed Judæ proprium: quo martyrio, veluti altero baptismo nefariis quibusve flagitiis eos mundatum iri pollicebantur. O insaniam inauditam, solisque dignam Circumcellionibus qui jam tum omnem humanitatem exuerant! Mortem eligunt voluntariam, tam hilari, pacatoque animo, ut illis mori nihil magis esset quam jocus. Triplex eligunt mortis genus *per abrupta precipitia*, *per aquas & flammas*. Illud crebrius, hæc rarius. Tam horrenda, tamque inhumana machinatione Donatistæ duo sibi opportunissima obventura sperabant. Primum Imperatorem de nova hac Circumcellionum immanitate certiorem factum, a vindicta, si quam animo preconceperat, Circumcellionibus temperaturum, reisque ipsis remissurum. Deinde facile id sibi tum Cæsarem, tum Catholicos persuasuros, maximam illam calamitatem jandudum a Donatistis in Afros profectam, Donatistis inscientibus accidisse; quod cum iis demum desperatis, insanisque hominibus ageretur, qui ne suæ quidem vitæ parcerent, quam nemo, ut sibi adimerent, persuaderet. Reliquum erat, ut Circumcelliones in tanta hac insania, & crudelitate con-

fir-

firmarent; quod ſedulo perſecerunt eoſdem ut Martyres honorando. Hinc Auguſtinus: *Vivunt ut Latrones, moriuntur ut Circumcelliones honorantur ut Martyres*. Poſtremo omnium maxime Donatiſtis oberat communio, quam Catholici Afri cum Occidente, atque Oriente ſervabant, ac totius Terrarum Orbis ſumma conſenſio circa hæreticorum baptiſmum, jam inde à Stephani Papæ, temporibus, quas tum veteres, tum poſteriores Catholicorum Doctores, Auguſtinus præſertim, atque Optatus primævis, ſequioribuſque Donatiſtis identidem objiciebant. Quocirca utrique illis quo afficiebantur incommodo callide non minus occurrendum fuit. Occurrerunt autem duplici calumnia. Jam illam de Cypriano tam proſpere, quam affabre texuerant. Ubi vero intelligunt a Catholicis orientem atque Occidentem Cypriani auctoritati opponi, magno molimine tam firmum præſidium dejicere conantur. Supponunt itaque Firmiliani Epiſtolam ad Cyprianum, quod ex hiſtoria Euſebii acceperint: Firmilianum cum Cypriano conſenſiſſe. Illud etiam hauſerant ex Euſebio de Concilio Iconienſi pro rebaptizantibus in Phrygia celebrato. Inceptam ab amico, neceſſarioque communi Euſebio Cæſarienſi calumniam, Donatiſtæ pari aſtu perfecerunt. Fingunt itaque a Fermiliano Cypriani literis reſponſum datum; in quo Concilium Iconienſe contra Cataphrygas celebratum, falſo adverſus quorumlibet hæreticorum baptiſmum ſtatuiſſe perhibetur; cui tur-

pi anacronismo Firmilianus ipse interfuisse in iisdem Firmiliani literis affirmatur. Quo pseudo firmilianico responso opinantur Donatistæ, satis provisum ei ignominiæ, qua in dies a Catholicis notabantur; nimirum Occidentalem non modo ecclesiam, verumetiam Orientalem Anabaptismo perpetuo repugnasse. Nec vero idipsum mentiri poterant Augustini temporibus, quando quidem Anabaptismus per Concilium C.P.[num] I. toto Oriente eliminatus fuerat. Proinde ad calumniam omnium maxime usitatam revertuntur. Ajunt itaque, Orientales Episcopos contaminatos fuisse omnes Traditorum consortio; ne Johannem quidem ipsum Jerosolymorum Patriarcham excipientes. De Occidentalibus Hispanos per Osium, Gallos per Italos, Italos per Marcellinum pollutos esse prædicant. Ex quo duo se consequi posse arbitrantur: primum, ut turpissimam illam delerent maculam, quæ sibi ex negata cum Occidentis, tum vero Orientis communione inurebatur. Deinde, ut veram Christi Ecclesiam apud solos Donatistas consistere ex consequenti probarent, veræque fidei studiosos ad partem Donati adsciscerent. Cui quidem Donatistarum jactantiæ, atque impudentiæ intolerabili vel ipsi Ariani tametsi fœderati, stomachabantur. Quod Fulgentius memorat epist. 9. de Fastidioso Ariano Auctore. Ut semel finiam Donatistæ tot, tantisque commentis, & Romani Pontificis, & Conciliorum auctoritatem, & Imperatorum potentiam; & Catholicorum, quin & totius Terrarum Or-

Orbis invidiam vitare se posse existimarunt. Et reapse multo maxima ex parte vitarunt. Quæ sequuntur propositiones ad abstrusum illorum systema magis ac magis reserandum conducunt; eæ tamen sunt quæ peculiariter sint pertractandæ.

PROPOSITIO VIII.

Donatiani Systematis Ordo admirabilis.

DOnatistæ, ut susceptum calumniarum systema perficerent, quatuor ordinarunt. Locum, tempus, res, ac personas. Quas quidem res tam affabre disposuerunt, ut illis ignoratis nullum sit Donatiani systematis judicium. E contrario, si bene percipiantur, quam facillime dignoscetur.

PROPOSITIO IX.

Loci Ratio explicatur,

NUsquam Donatistis contingere poterat, ut mendaciorum suorum tabernam, fucatumque mercimonium auspicato magis quam in Africa aperirent, & venditarent. Jampridem hæc fama percrebuerat: Africanos Patres pluribus Conciliis coactis Hæreticorum Baptismum respuisse. Rumor hic, tametsi vero abesset, temporum tamen longinquitate fretus, Hominum vel prudentissimorum mentes turbaverat. Verum

quum

dendi, non eſt dubitandum quin non pauca pro ſe confinxerint monumenta, longe adhuc plura, quæ illis officerent, peſſumdederint; ac demum omnia antiquitatis facta miſcuerint; ea præſertim, quæ ad Cyprianum attinebant, de quo præclare Africana Eccleſia audiebat, & loquebatur. Afri quidem illi non pauci, qui Auguſtino perhibente ſerio affirmabant: BB. Cyprianum nunquam Rebaptizantibus adhæſiſſe, ſatis oſtendunt: perſpectiſſimum ſibi fuiſſe, omnes illas epiſtolas Cypriani nomen præferentes, a fallaciſſimis Donatiſtis fuiſſe confictas.

PROPOSITIO X.

Temporum Ordo Recluditur.

NUnquam Donatiſtæ aut felicius, aut opportunius ſuam hæreſim in Africa proferre, ſuamque ſectam amplificare poterant, quam eo ipſo tempore, quo protulerunt atque amplificarunt. Cyprianica ætas minus idonea ad hæc molienda fuiſſet. Diocletiano imperante ſub illius Imperii finem perſecutio in Chriſtianos omnium crudeliſſima exorta eſt, qua infinita Fidelium Chriſti multitudo vario cruciatuum genere ſublata fuit. Ad hæc mala hoc illis acceſſit etiam, & quidem graviſſimum. Imperatoris edicto Hebdomada ipſa, qua Dominicæ Paſſionis memoria recolitur, Eccleſias dirui, Sacroſque Codices incendendos tradi, juſſum eſt. Quamobrem qui ſeu

timore perculsi, seu tormentis fracti sacros libros tradiderunt *Traditores* in Africa vocati sunt. A quibus Cyrræ in Numidia Concilium celebratum est, præsidente Secundo Tigisitano Numidiæ Primate, in quo ob schisma vitandum Traditores recepti sunt, Anno Christi 303. Hoc porro *Concilium*, atque hæc *Traditio* Donatianum Schisma crearunt. Mensurio Episcopo Carthaginiensi vita functo, Cœcilianus illi sufficitur. At Lucilla natione Hispana, genere nobilissima, quod a Cœciliano dudum Diacono reprehensa fuisset, quod os Martyris nondum vendicati oscularetur, id rata, quod rentur nobiles Feminæ, vindictam cum pietate posse consistere, in electum Cœcilianum schisma conflavit; quod ut ex sua accideret sententia *quadringentos folles*, quorum summa decem millium scutatorum probabilius esse potuit, Numidis Episcopis elargita est. Tum illi ut Cœcilianum exaugurarent, & specioso, quam maxime possent, titulo tantum facinus prætexerent, id statim comminiscuntur: Cœcilianum ab Episcopo Traditore, nempe a Felice Aptungitano ordinatum fuisse. Hæc proinde accusatio, tametsi falsa; eorum temporum ratione habita, veram de Cœciliani ordinatione suspicionem injicere potuit; neque enim jus agebatur, sed factum .. Post Carthaginiense Conciliabulum res in disceptationem adducitur. At Donatistæ susceptum Traditionis systema nil quicquam invertunt. Si quorum ex Catholicis Episcoporum vel judicium refugiebant, vel doctrinam reformidabant,

bant, vel auctoritatem pertimescebant, continuo Traditionis nomen iis objiciunt. Ita fiebat, ut judicia multiplicarentur, tempusque protraheretur; nam tempori servire, tempusque producere solenne fuit Donatistis. Hac etiam temporis cautione callide, ac fauste usi sunt, ut singulos post cineres accusarent; ut aliena objicerent, eaque antiqua; quo difficilius a Catholicis defendi possent.

PROPOSITIO XI.

Rerum Series expenditur.

QUæ res Catholicis sex plurimum proderant, eædem & Donatistis gravissime oberant. Sacræ Scripturæ auctoritas; Romani Pontificis definitio; Arelatensis Concilii Judicium; S. Augustini doctrina; Imperatorum potentia; ac demum universus Terrarum Orbis. Donatistæ impavide talia, ac tanta Catholicorum præsidia oppugnarunt. Sanctas Scripturas extorquent, atque adeo corrumpunt. Apostolicæ sedis Auctoritati S. Cyprianum, qui Stephano, ut illi fingebant, est refragatus, & irritam, ut jactitabant, Meltiadis Papæ ordinationem objiciunt. Arelatensi Concilio opponunt Carthaginiense III. S. Augustino Manichæorum hæresim exprobrant, vitamque liberius jandudum traductam, itemque dialecticæ fraudes, & eloquentiæ fucum. Imperatorum potentiam eludunt, tum falso dogmate,

quod assumunt: de Virorum Principum ope Christianis non imploranda; tum vero furiosis Circumcellionum catervis. Totius denique Terrarum Orbis invidiam, uno eodemque dicterio: Ecclesiam nempe universam, præter Donatianam, immundam, pollutamque esse Traditorum consortio, aut contemnere Religio erat, aut spes magna vitandi.

PROPOSITIO XII.

Personarum dispositio proponitur.

UBi Donatistæ immerito Cæciliano falsum alienumque crimen affingere ausi sunt, protinus calumniam ad alios, eosque summos viros portendunt. Melciadi Papæ calumniam intentant, quod Cæcilianum absolverit. Hispania illis repugnabat; hinc Osium Cordubensem clarissimum ex Hispanis Episcopum calumniantur. Reclamabant Galli, quorum partes erant & Romanum, & Arelatense judicium vendicare; Donatistæ nihil minus sibi fidentes quibuslibet Galliæ Episcopis infamiam inferunt. Atque ita in unius hominis, ejusdemque insontis falsa criminatione, multos lædebant, omnesque complectebantur. Nec minori sane impudentia opus erat ad inauditam illam, audacissimamque sententiam specioso quopiam nomine obtegendam: Universam Christi Ecclesiam apud solos asservari Donatistas.

PRO-

PROPOSITIO XIII.

Donatiani Systematis fastus, progressus, ac pernicies recensentur.

DOnatistarum sententia undique præjudicata potissimum in caussa fuit, cur insolita, atque intollerabili arrogantia rem suam agerent. Proinde tantum sibi arrogabant, ut quotiescunque cum Catholicis colloquendum esset, totiens ex Tripode loqui viderentur. Quin accusati non erubescunt, convicti spiritus non remittunt; Augustinus visus est, semel judicasse: Episcopos Donatianos mœnibus conclusos nunquam Urbibus excedere, quod essent impares tantæ ignominiæ ferendæ. Quæ interpretatio, non Donatistarum pudori, quippe queis nullus inesset; sed summæ Augustini honestati, cujus particulam aliquam in Donatistis residuam esse opinabatur, tribuenda est. Ceterum quod Donatistæ suis sedibus pedem non efferrent, id satius existimandum, eo consilio id effecisse, ut plebem suam in officio continerent; Neve Cæsarei Judices occasionem nanciscerentur, aut illos in exilium mittendi, aut illis ad suos reditum intercipiendi; id eo etiam magis pertimescebant, quod aufugiendi facultate per Tribunum facta, nemo unus aufugit. Hanc ipsam apud suos permanendi pertinaciam Donatianis Episcopis in tempore exprobravit Augustinus. *Interrogate Christum; jubet vos fugere.*

gere. Interrogate Tribunum; permittit vos fugere. Si & ipsum Raziam (cujus exemplo Donatistæ abutebantur) *interrogare possetis, respondebit vobis: non potui fugere*. At revera (ut eo, unde egressa est evadat oratio) fastuosa erat & ipsa Donatistarum disceptatio, quam non nisi subtiliter, eleganterque instituebant; omnis verò dicendi vis in conviciis, & contumeliis sita erat. Hinc Petilianus ab Augustino appellatur *non veridicus disputator, sed maledicus conviciator*.

Libet & quemdam in calumniis fastum notare, quas tam longe lateque protenderunt, ut calumniarum amplitudo facile Donatistarum arrogantiam æquaverit. De hac satis duabus superioribus Propositionibus actum est.

Ex hoc malo bicipiti quid nisi aperta, majorque pernicies gigneretur? Longum esset, ac laboris immodici insignem illam calamitatem, quæ ex Donatistis in rem Christianam redundavit, retexere. Quot innoxii, honestique Homines falsis criminibus notati? Quot Viri Sanctissimi, doctissimique in perfidiæ, hæresisque suspicionem adducti? Sed quid hæc præ horrendis, atque infinitis Circumcellionum flagitiis? Attamen est aliquid, quod horumce Latronum crudelitatem, aut vincat, aut æquet quidem certe. Quid demum? Donatistarum opera; quæ Optatus respiciens Latronibus pejores asserere non dubitavit. Certe Augustinus luctuosissimum, quod ex Donatistarum dumtaxat verbis in Catholicos creabatur, exitium animo intuitus, ait Donatistas

tiſtas lingua æmulari Circumcellionum fuſtes, ac fundas, ac ferrum. Tandem donatianam hæreſim furioſam perniciem vocat.

PROPOSITIO XIV.

Donatiſtarum Pertinacia incredibilis.

DOnatiſtarum pertinacia ſtatim *poſt Epiſcopalia judicia, ubi* Cœcilianum *opprimere non potuerunt* ſe exeruit. Quem illi tandem ad prædicti Imperatoris examen *pertinaciſſimis perſecutionibus perduxerunt*. At Conſtantinus *cognita cauſſa, Cœcilianum innocentiſſimum, illos improbiſſimos judicavit.* Verum tametſi *inconcuſſis documentorum firmamentis error ille convictus fuiſſet*, Auctores tamen in eo obduruerunt; *Sicut enim conſtantia non ſinit hominem depravari, ita pertinacia non ſinit corrigi*. Hinc non modo honeſte, verum etiam neceſſario pœnis coerceri debuerunt, exilio præſertim. Illi vero *de coercitione iniquitatis ſuæ non ſolum confundi neſciebant, ſed & laudari volebant, ignorantes cæcitate mirabili, vel animoſitate damnabili ſe ſcire diſſimulantes, quod Martyres veros non faciat pœna ſed cauſſa*. Poſtremo donatianam pertinaciam incredibilem reapſe fuiſſe ſæpius, & perſpicue tradit Auguſtinus, ſed apertiſſime, verbiſque graviſſimis tum cum diabolo pertinaciores judicavit, quod a Conſtantini judicio, ad quem Catholicos Cæſare ipſo invito provocaverant,

con-

convicti *in sua perversitate remanserunt.* Hinc *putat* Augustinus. *Quod ipse diabolus, si authoritate Judicis, quem elegerat, toties vinceretur, non esset tam inpudens, ut in ea caussa persisteret.* Paulloante dixerat: schisma Novatianum *pertinacissimam iniquitatem*. Qnid plura? Fortunius ipse Donatista suæ paris pertinantiam detestatus est.

PROPOSITIO XV.

Terribilis Donatistarum astutia, & fallaciloquentia.

NIhil Donatistas adortos esse, quod non maximo astu confecerint, hactenus perspicuum feci. Jam vero nonnulla, eaque præcipua tantæ calliditatis argumenta expendenda supersunt. Quinque præter ea, quæ superius explicuri Donatiana versutia sibi animo constituerat. I. curandum fuit, ut veras a se criminationes averterent, propterea calumniantur ut lateant. II. ne structæ illos frustrarentur calumniæ; iccirco vetera objiciunt. Veteres accusant nomina reticendo, quo difficilius & illa exploderentur, & isti purgarentur. III. ut collocutionem jandiu expetitam cum catholicis effugerent, quam ut, quam maxime possunt, protrahant, caussantur, non licere cum Peccatoribus colloqui, sed conferre cum Catholicis ab Imperatore coacti, renuunt cum iis considere. IV. ut Catholicos terrerent; hinc vetant Catholicis Sepulturam: Episco-

ſcopum Septuagenarium exaugurant. V. demum ut tot, tantaque ſua, ſuorumque flagitia religionis fuco prætexerent, flagitia flagitiis, & quidem majora minoribus addunt? Altaria diruunt; Calices frangunt: Euchariſtiam Canibus projiciunt. Hinc illud conſequebatur, populum perterritum non admodum minora facinora animo attendere, quandoquidem longe majora obverſabantur; de his vero Donatiſtæ plebibus ſe purgabant, quod dicerent: hæc omnia polluta eſſe, ac proinde exauguranda. Quocirca quæcumque ab illis præ his minus gravia, tametſi reapſe graviſſima admittebantur, aut probanda erant, aut excuſanda, aut æquo anima ſuſtinenda quidem certe; Quod omnino credendam eſſet: nihil a Donatiſtis ſuſcipi, quod ſine magno conſilio, magnoque pietatis ſtudio ſuſciperetur. Quid multis opus eſt? Immania ipſa, & inaudita flagitia, quæ a Circumcellionibus Donaſtitarum ſuggeſtu, ſtimulis, atque ope patrata ſunt, divinitus accidere, Catholicoſque debitas ſuorum criminum pœnas luere temere prædicabant.

Huic vero exploratæ tandem aliquando nequiſſimæ verſutiæ Doctiſſimi Catholicorum Epiſcopi, Optatus præſertim, atque Auguſtinus verbo, & ſcripto ſtrenue repugnarunt; proinde opus fuit Donatiſtis linguam & calamum exerere. Exſeruerunt enimvero, nec minori fraude; ea ſiquidem alacritate ſophiſmata contorquebant, qua dolos verſabant; quos propterea ita alloqitur Optatus Milevitanus: *lib.* 3. *pag.* 357. *ſi ſeductio-*

Ii *ni*

ni vestræ paullo tardius fuerit accomodatus assensus, etiam illa vobis argumenta non desunt, quibus facile etiam nolentibus quod vultis suadere possitis. Quos antea dixerat *subtiles seductores*. Nec sane minori acumine opus erat ejusmodi veteratoribus, qui sæpenumero absurda, secumque pugnantia loquebantur.

PROPOSITIO XVI.

Donatistæ Antiqua depravant Monumenta.

QUum primum Donatistæ apud Cæsarem, ad quem post Episcopalia judicia Catholicos provocaverant, caussam dicere impetrarunt, lite contestata Ingentius Donatista Ziquensium Civitatis decurio confictionis epistolæ Alfii Cæciliani adversus Felicem Aptungitanum accusatur convincitur, & damnatur. Post L. fere annos ab Ingentio damnato Donatistæ chartas, nescio quas, ad suam caussam confirmandam Catholicis obtrudebant, de quibus ita Parmeniano reponit Optatus lib. 1. pag. 345. *Sed quia audio aliquos de societate tua litigandi studio chartas habere nescio quas; quærendum est, quibus sit accomodanda fides, quæ cum ratione concordent, quæ cum veritate confabulentur. Vestræ si sunt aliquæ, mendaciis forte videantur aspersæ; Nostras chartas probant & conflictus caussarum, & contentiones partium, & exitus juditiorum*. Nec modeste minus, ut mitissimum Episcopum decuit, Augustinus reposuit

ſuit Epiſtol. 43. al. 162. *Si proferunt chartas, proferimus chartas; ſi falſas noſtras eſſe dicunt, hoc nos de ſuis dicere non indignentur.* Qui vero antiquas chartas non corrumperent qui contortis interpretationibus vel Sanctas Scripturas corrumpebant, veluti Parmenianus, qui quotiens *aquam* in Sacris Codicibus deprehendebat, totiens baptiſmum deſignari autumabat, quem explicandi modum non hallucinationem duxit Optatus, ſed criminandi ſtudium; namque ita Parmenianum urget. *Intelligeris enim ſtudio criminandi ſic palpaſſe legem, ut, ubicnmque Aquam Scriptam legeris, præſtigiis quibuſdam ad invidiam collegeris, & everriculo quodam malitiæ argumentorum intexto, ad te omnia, quæ ſunt bona traxiſti.* Quam vero reformidarent Donatiſtæ res ab illis cum Catholicis geſtas tabulis conſignari, inde potiſſimum argumentandum, qnod in colloquio habito ab Auguſtino cum Fortunio Donatiſta Epiſt. 45. al. 163. Catholici *poſtulaverunt, ut a Notariis verba noſtra exiciperentur; Diu ab illo, vel ei conſentientibus reluctatum eſt; poſtea tamen ipſe* Fortunius unus omnium Donatiſtarum docilis *conceſſit*. Reliqui omnes renuebant, ne aditus illis ſcripta depravandi intercluderetur. In eo ipſo colloquio nil dubitarunt Donatiſtæ Philippopolitanum Conciliabulum pro Sardicenſi Auguſtino obtrudere.

COROLLARIUM

Ex XVI. adductis, probatisque Propositionibus assertum Theorema concluditur.

Prop. I. *Calumnia Donatianæ Sectæ Firmamentum*. Quicquid igitur hæresi Donatianæ astipulatur pro calumnia habendum est. Cœciliani ordinatio firmamentum erat, non hæresis Donatianæ, sed schismatis. Epistola ad Pompejum firmamentum fuit, non schismatis, sed hæresis Donatianæ. In Cœciliano quæstionem facti, in Cypriano quæstionem juris collocabant. Utrumque falsum erat, factum, atque jus; falsum itaque utriusque firmamentum. Falsa irrita Cœciliani ordinatio, quidni falsa sit Cypriani ad Pompejum Epistola?

Prop. II. *Calumniæ ad systema redactæ*. Qui certa methodo rem suam agunt, id maxime operam dant, ut medium principio respondeat, & finis medio. Principium Donatiani systematis calumnia fuit. Quidni calumlumniæ sint medium ac finis? Principio Cœcilianum Catholicis objecerunt, paullo post Cyprianum: illum perpetuo objecerunt, hunc ad Collationem usque Carthaginiensem. Duo hæc præcipua calumniantis systematis capita quid sunt, si non hæ calumniæ sunt?

Prop.

Prop. III. *Donatistæ morum Sanctitatem affectant*. Fucata Donatistarum sanctitas in caussa potissimum fuit, cur plerique omnes Africani Homines, gnavi etiam, & eruditi id sibi persuaderent: Sactissimum Cypriannm idipsum sensisse quod Donatistæ. Porro sententia isthæc in speciem piissima, tam procul esse videbatur ab hæresi, quam erat reapse quibusve hæresibus infensa. Nec quodcunque sat erat acumen ad eam fraudem introspiciendam, quæ tam specioso, tamque constanti fidei studio obtegebatur. Hinc falso existimarunt: Donatistas non jus propter factum, sed factum propter jus propugnare. Esto sane: posteriores ex Afris Catholicos non id a Donatistis accepisse, sed a majoribus suis; majores vero acceperunt ab Episcopis suis, qui non modo catholici habebantur, sed & umbram rigidæ severitatis præseferebant. Eo pacto tam insigne mendacium a majoribus in posteros derivavit. Hæc porro credulitas deceptricis sanctitatis, ac deceptæ pietatis effectus est.

Prop. IV. *Donatistæ omnium Hominum flagitiosissimi*. Hæresim a Petri Cathedra damnatam, ab Apostolica Traditione convulsam, tot perspicuis Sacræ Scripturæ testimoniis adversantem, totius Occidentis consuetudine improbatam, post etiam ab œcumenicis Conciliis interdictam, Doctori Maximo, itemque Martyri præclarissimo affingere, nequissimorum dumtaxat hominum facinus erat. Hæresis autem Martyrio non expungitur, sed punitur ex Cypriani doctrina.

Quod Augustinus secus de Cypriano sentire videatur, nihil habet momenti, quoniam connivendo, & in hypotesi hoc dixit, non absolute, neque ex animi sui sententia, quod sequenti Theoremate planum fiet. Qui tot, tantaque flagitia in Africa admittere potuerunt, nil quicquam dubitandum, quin principi, clarissimoque totius Africæ lumini hæretica macula lucem eripere ausi fuerint. Nam quid perditis hominibus usitatius, quam magnæ existimationis Viros in præsidium sui sceleris advocare?

Prop. V. *Donatistis falsa doctrina, & modica scientia*. Sanam doctrinam non sustinentes nedum facile falsis assuefiunt, sed & necessario. At ex falsis ea seligunt, quæ majorem ostentant auctoritatem, majusque præsidium afferunt. Ea ratione Donatistæ ad Cyprianum confugiunt. Quod si doctrina non suppetat, Viros doctissimos, quo jure, quave injuria, sibi adsciscunt. Ita propemodum Donatistæ egerunt cum Cypriano.

Prop. VI. *Calumniarum Systema impenetrabile*. Una hæc ita prudens ut vera animadversio: Donatianum calumniarum systema impenetrabile fuisse, gravissimam, justissimamque suspicionem injicit: potissimum, quod illi habent in Pompeii Epistola, perfugium id genus esse, quod potiores calumniæ, quæ difficillime perspiciuntur. Sententiarum repugnantia, mentiendi facilitas, inveniendi acumen, calumniandi consuetudo, confirmandi impudentia Catholicorum mentes quaquaversum distrahebant; at-

que

que adeo ut ſæpenumero id dicendum eſſet, non quod animus, non quod veritas, ſed quod præſens Donatiſtarum verſutia, & voluntas, quod res in cauſſa poſtulabant. Quum de eo agatur ſyſtemate, quod antehac minus accurate expenſum, & nemini, quod videam comprehenſum fuerit, non admodum referre debet, ita de Cypriano exiſtimatum, ut placuit hominibus callidiſſimis. Secus [aut ego fallor] eveniſſet, ſi quiſpiam alter Catholicorum Scriptor quo tempore Auguſtinus recta hæreſim Donatianam oppugnabat, id ſibi ex inſtituto ſumſiſſet; ut pari ſtudio Donatiſtarum technas exploraret, & literis conſignaret. Quibus enodatis epiſtolam ad Pompejum Cyprianicam facere quid eſt aliud quam ad ſolem cœcutire?

Prop. VII. *Incomprehenſum Syſtema reſeratur*. Neceſſitas, quæ Donatiſtas urgebat, Concilium Concilio opponendi, & Epiſcopum Epiſcopo, in cauſſa potiſſimum fuit, cur & Concilium Carthaginienſe III., & Epiſtolam ad Pompejum confingerent. Verbo tenus Synodum Carthaginienſem Romanæ Synodo ſub Stephano [quam commentititiam judico], & Cyprianum Stephano objiciunt; at revera & Carthaginienſe III. Synodo Arelatenſi I. & Epiſtolam ad Pompejum Miltiadis judicio apponunt. Neminem unum Eruditorum hominnm latere arbitror: Donatiſtas ad facti quæſtionem tuendam Synveſſanam Synodum commentos eſſe; tamque ſubtili aſtu commentos, ' ut univerſa Catholica Eccleſia ad noviſſima

ſima uſque tempora imaginariæ huic Synodo fidem adhibuerit, eamque in Romanum Breviarium retulerit. Quid miramur ad juris quæſtionem propugnandam alterum Concilium confixiſſe, & unam; itemque alteram Epiſtolam ſub nomine Cypriani? Num dubitaverint Cypriani auctoritate abuti, qui & Imperatorum potentiam, & Catholicorum conatus furioſis Circumcellionum turmis eludere potuerunt? *Nam cum ſint duo genera decertandi* [Tullio Auctore] *unum per diſceptationem, alterum per vim*, cumque illud verbis hoc verberibus committatur, Quis dubitet de verborum falſitate in iis, qui non abſtinent a verberum injuria?

Prop. VIII. *Donatiani Syſtematis ordo admirabilis*. Ordine plane admirando rem ſuam agentibus ab optimis quibuſve exordiendum eſt. Omnium Afrorum Antiſtitum doctrina, & ſanctitate præſtantiſſimus Cyprianus jure, meritoque erat, ac vocabatur. Ab Cypriano igitur exordiendum fuit. Subtegmen ſuppeditavit Euſebius Donatiſtarum Patronus. Tum Donatiſtæ telam confecerunt. Enimvero tam certus, tam accomodatus hic ordo fuit, ut non modo ſuæ hæreſeos initium ſumſerint ab Cypriano, ſed & ſuas ipſas argumentationes in Cypriani calamo, atque ore repoſuerint. Quæ quidem eædem ipſæ ſunt, quas Donatiſtæ Catholicis obtrudunt, quaſve Auguſtinus nedum refutat, verum etiam ludificatur.

Prop. IX. *Loci Ratio explicatur*. Qui Ana-

ba-

baptiſmi patrocinium Cypriano adjudicant, id ſibi perſuadeant oportet: hæreſes perinde atque Arbores a peculiari unius, & alterius Provinciæ Cœlo gigni, ac propagari. Tertullianus omnium primus in Africa Anabaptiſmo fertur ſtuduiſſe. Subinde Cyprianus ut qui Tertulliani doctrina magnopere ſit delectatus, quem iccirco magiſtrum ſuum vocitabat, perinde ac ſi oſcitans, & dormitans ejuſdem libros perlegiſſet, non cautus, non circumſpectus ur Cyprianum decebat, ut Montaniſtæ Scriptoris fama poſtulabat, venenum cum melle deglutivit. Miror equidem non modo etherodoxos, ſed & Catholicos Scriptores, eoſque præſtantiſſimos tam turpiter de Cypriano conjicere. Poſt Cypriani Martyrium. *Illi ipſi Epiſcopi* [Hieronymus ſcribit dialog. cont. Luciferian.] *qui rebaptizandos Hereticos cum Cypriano ſtatuerant, ad antiquam conſuetudinem revoluti, novum emiſere decretum. Quid facimus? Ita & nobis Majores noſtri, & illis ſui tradidere majores.* Undenam hanc Afrorum Antiſtitum palinodiam Hieronymus accepit, Eccleſia ignorat, Hiſtoria ſilet, Antiquitas non tradit. Nam quod S. Dionyſium Alexandrinum S. Hieronymo præmittit Pamelius, & hic cum Baronio hallucinatus eſt; tametſi non video, quo jure ſibi blandiantur, qui de pace Eccleſiæ reddita ab Novatianenſibus interpretantur, quos ad Nicænum uſque perſtitiſſe, compertnm eſt. Ceterum ex hac Hieronymi opinatione duplex

pro hujuſce epiſtolæ falſitate argumentum ducitur. Primo Hieronymus eodem prorſus modo conjicit de Cypriani, ceterorumque Afrorum Antiſtitum errore, ac de iſtorum retractatione; hæc autem nulla fuit; igitur & nullus fuit error. Jam vero liquet vel perſpicaciſſimum Hieronymum Donatianis fallaciis in hanc credulitatem pertractum fuiſſe. Quonam tandem modo? eodem plane atque Afri ipſi pertracti ſunt. Jam illa Cyprianici erroris fama in Africa percrebuerat. Ex qua alterum conſequi neceſſe fuit; nimirum, quum poſt obitum Cypriani ſummum apud Afros ſilentium de Anabaptiſmo deprehendatur, id tantum conjiciendum fuiſſe: Afros Epiſcopos re melius perſpecta a priori ſententia ad unum omnes receſſiſſe. Deinde quod nemo Unus tot Epiſcoporum poſt Cyprianum comperiretur Anabaptiſmum inſtauraſſe; magno erat argumento, eos ipſos Antiſtites in quopiam Africano, & frequentiori Concilio palinodiam ceciniſſe, quod prudentiſſime opinatus eſt eximius Hieronymus, quem ſi quis exiſtimet non rumore vulgi abreptum, ſed comperto aliquo ſolemnique documento edoctum id prodidiſſe, continuo & illud ſibi perſuadet: Rebaptizantium res magis exploratas fuiſſe Hieronymo quam Optato Milevitano Donatianarum rerum Scriptori accuratiſſimo, & Auguſtino Donatianæ hæreſeos oppugnatori acerrimo. Itaque Donatiſtæ Anabaptiſmum in Africa non excitant, ſed excogitant. Quamobrem? ut irritam faciant Cæciliani Ordinationem. Annon unus aliquis ante

vel

vel post Cæcilianum ordinatus erat, in quem hæc itidem ordinationis suspicio cadere posset? Qui sibi hoc serio in animum inducit, nimium fabulis delectatur. Equidem sic existimo; si usquam alibi quam in Africa idipsum moliri Donatistis contigisset, dubio procul non dissimilem calumniam fuisse structuros, & alium quempiam ex Occidentalibus Episcopis illustriorem BB.mo Cypriano substituturos fuisse. Verum enim vero [si qua Superis fors est apud Homines] inauspicato accidit Cypriano, ut omnium præclarissimus in Africa esset, atque haberetur; nempe apud eas gentes de quibus sapienter pronunciavit Cicero. *Mira semper fuit Afrorum calliditas*.

Prop. X. *Temporum Ordo recluditur*. Sacrorum Codicum Traditio, quæ Cæciliani ordinationem præcesserat, opportuna satis fuit donatiano Schismati fovendo; eademque plurimum idonea est *ad.* hujusce epistolæ confictionem revelandam. Cujus quidem epistolæ assertores ita ad complexionem adduco. Africani Episcopi ante Traditionem utrum Anabaptismum ejurarunt an non? Si quippe dicant; qua tandem spe Donatistæ eumdem exsuscitarent? Sin minus; cur tantopere Catholici Donatistis succenserent? Tum aliud quæro. Si ejurarunt, ut enim vero ajunt, quum nemo unus ex Afris repugnaret, quis illos ad ejurandum adduxit? Decretum, inquiunt, Romani Pontificis. Cornelii, an Stephani? non quidem Cornelii; ut Eusebio placet, quippe quo cnm magna Cypriano gratia

erat, & necessitudo. Non item Stephani, ut hæc præfert epistola, propterea quod in Stephani Constitutionibus apud Anastasium Bibliothecarium nihil tale habeatur, quod erat omnium maxime recensendum, quicquid sit de illarum, quæ recensentur, veritate. Obstat adhuc Epoca Pontificatus Stephani, quam nonnulli ad annos duos: alii ad annos quatuor, menses duos, dies viginti unum ex Damasi Chronico protrahunt, quæ sententia magis arridet Tillemontio, ac Pearsonio, nec non Adnotatori Maurino, cui solutior, & explicatior visa est; quod ita probe concurrant Stephani cum Afris; & cum Orientalibus concertationes. At dissidium cum Martiano Arelatensi non concurrit cum dissidio Cyprianico; de quo fusius Theorem. V. At tria Concilia Carthaginiensia non concurrunt cum Vita Stephani Papæ, de quo Theorem. VI. Quocirca temporum ordo, qui Donatistis maxime favere videbatur, si bene expendatur, maxime obest.

Prop. XI. *Rerum Series expenditur*. Quinque illis rebus, quæ firmissimum Catholicis præsidium afferebant, una hæc ad Pompejum Epistola repugnare nonnihil poterat. Potuit namque primum Sacrarum Scripturarum auctoritatem ad Anabaptismum torquere; quod ita ab eximio Cypriano illarum peritissimo explicarentur. Tum potuit Romani Pontificis certissimum in fidei caussis judicium non leviter infirmare, ob repugnantiam ejus, qui Episcopus erat Ecclesiæ post Romanam *Eminentissimæ*, veluti Romanam, &

Cartha-

Carthaginienſem Eccleſiam appellavit Auguſtinus. Deinde ejuſdem Auguſtini Doctrinæ fidem derogare potuit; quod Hypponenſi Epiſcopo Carthaginienſem; quod Epiſcopo minori Africæ Primatem; quod Viro optimo, & laudatiſſimo Martyrem ſanctiſſimum; quod tandem Doctori maximo Doctorem ſummum obtruderet. Poſt: Concilii etiam auctoritatem in ſpeciem imminuere potuit, quippe tum in præfatione, tum in concluſione innuat Concilia Carthaginienſia, quibus ipſe præfuiſſe putabatur, a quibus itidem Anabaptiſmus firmiter ſancitus perhibetur. Rurſus Imperatorum pro Catholicis ſtudium, & in Donatiſtas odium maxima ex parte temperare potuit, atque adeo debuit; quod illis omnino credendum eſſet, ſi huic epiſtolæ fidem adhiberent: Beatiſſimum Cyprianum Martyrium potius ſubiturum fuiſſe, quam ex Anabaptiſmi ſententia receſſiſſet; nec proinde quicquam dubitandum, quin ſubituri forent Donatiſtæ Cypriani exemplo, & conſtantia confirmati. Poſtremo potuit & hæc una Epiſtola totius Eccleſiæ, ſi non auctoritatem effugere, invidiam ſaltem declinare. En quam Perſonam hæc epiſtola Cypriano aſſignat.

Prop. XII. *Perſonarum Diſpoſitio proponitur.* Quo pacto Epiſtolam ad Pompejum quibuſque Catholicorum propugnaculis ab Donatiſtis objectam fuiſſe modo enunciavi, eadem ferme ratione de Perſonis judicandum eſt.

Prop. XIII. *Donatiani Syſtematis faſtus pro-*

gressus, *& pernicies*. Eos qui intolerabili fastu omnia sibi arrogabant, quibus & suas calumnias quam longe lateque possent efferrent, Virosque honestissimos multimodis inquinarent, dubitandum non est, quin lenissimo, & Catholico Cypriano hanc hæresis, & pertinaciæ labem inusserint ad suam caussam dicendam.

Prop. XIV. *Pertinacia incredibilis*. Donatistarum pertinacia ita incredibilis erat, ut inexcusabilis. Hanc autem suæ pertinaciæ excusationem comparare se posse arbitrabantur, quod non tam obstinati viderentur, quam Cypriano devoti; cujus exemplo & Romani Pontificis decreto, & Concilio Romano, atque Arelatensi ita se impune refragari posse præseferrent, quemadmodum Cyprianus & Stephano, & Romano, quod jactatur, Concilio est refragatus. Præterea si una hæc ad Pompejum epistola animadvertatur, insignis obstinationis notæ in ejus Auctore deprehenduntur, quæ cum maxime Donatistis, tum minime congruunt Cypriano.

Prop. XV. *Terribilis Astutia*, *& Fallaciloquentia*. Tametsi, tot, tantæque Donatistarum artes aut nullæ essent, aut laterent; una hæc ad Pompejum Epistola reformidandam Donatistarum versutiam satis superque declararet. Hoc siquidem monumento rebus suis undique prospicere potuisse, ex iis, quæ superius collegimus, abunde patet. Tanto enim astu confecta est; ut nihil, quod suæ hæresi adversari posset, una hujusce Epistolæ propositione infirmari non posse

opi-

opinarentur; hæc injuria, quotiens Cyprianica haberetur, veluti diutiſſime habita eſt. Falla-ciloquentia jam tanta eſt, ut ſophiſmatum acervus verius quam Epiſtola Apologetica videri poſſit. Eam itaque confer cum technis, fallaciiſque Donatianis, continuo intelliges: aptius illis reſpondeat, an ſimplicitati, doctrinæque Cyprianicæ?

Prop. XVI. *Antiqua depravant monumenta.* Qualis, ac quanta ex hac propoſitione pro hujuſce epiſtolæ confictione contra Donatiſtas eruatur præſumtio, vel nobis tacentibus, nemo eſt, qui non videat. Quæ hoc Theoremate animadvertimus, longe probabiliora fient, ſi cum ſequenti Theoremate, quod Beatiſſimi Auguſtini ope implorata, jam pertractandum ſuſcipimus, conferantur.

THEOREMA II.

Ex vero S. Augustini adversus Donatistas Systemate Epistolæ ad Pompejum falsitatem demonstrare.

PROPOSITIO I.

Augustinus refugit facti quæstionem, persiat in quæstione juris.

SI de facti quæstione agatur, non nimium fidendum est Augustino, non quod fuerit minus diligens, sed quod magis cautus; namque ita res postulabat; quandoquidem solemne erat Donatistis facta factis adjicere, eaque antiqua, incerta, & implexa, quo Augustinum a quæstione juris distraherent, in qua plurimum, & quidem juste, ejus Doctrinam reformidabant. Passim apud Augustinum deprehendere licet ejusmodi cautionis exempla, in [1] Collatione præsermiti Carthaginiensi, in qua maximopere Donatistæ satagebant, ut Augustinum ab instituta de Anabaptismo quæstione ad Traditionis disquisitionem revocarent. Ita propemodum egit in altera Collatione habita cum [2] Fortunio Donatista. Cla-

1 Apud Labæum Tom. 2. Concil. ex edit Venet., & Aug. in brevit. Collat.

2 Epist. 44. ad Eleus. al. 163.

Clarius etiam quæstionem juris a quæstione facti secernit, Traditionem inquam ab Anabaptismo, scribens [3] Emerito Donatistæ: *Alia enim quæstio est, utrum illa vera dicatis, quæ quidem nos multo probabilioribus documentis falsa esse convincimus, & in vestris magis ea ipsa quæ objicitis, tunc probata declaramus. Sed hæc, ut dixi, alia quæstio est, tunc aggredienda, & discutienda, cum opus fuerit*. Hactenus de quæstione facti. Nunc de quæstione juris. *Illud nunc adtendat vigilantia mentis tuæ, neminem contaminari posse ignotorum ignotis criminibus*. Profecto, si unquam Augustino accuratius facta expendenda erant, tum accuratissime, [4] quum *Episcopos Romanæ Ecclesiæ calumniis incredibilibus insectatus est* Petilianus, Marcellinum scilicet, ejusque Præsbyteros Miltiadem, & Marcellum, & Silvestrum. Reponit vero Augustinus: [5] *Quid ergo jam opus est objecta ab eo crimina diluamus? Ipse sceleratos, & sacrilegos fuisse dicit, ego innocentes fuisse respondeo. Quid laborem probare defensionem meam? cum ille nec tenuiter conatus sit probare calumniam suam*. Atque ita caput illud absolvit. *Prorsus qualescunque fuerint Marcellinus, Marcellus, Silvester, Miltiades, Mensurius, Cæcilianus, atque alii, quibus objiciunt pro sua dissensione quod volunt, nihil præjudicat Ecclesiæ Catholicæ Toto Orbe Terrarum diffusæ, nullo modo eorum innocentia coronamur; nullo modo eorum iniquitate damnamur*. Caussam

 cur

3. Epist. 87. ad Emer. al. 164.
4. De unic. Bapt. cont. Petil. cap. 16. 5. Ibid.

cur istorum defensionem prætermiserit, ediderat capite superiori. [6] *Sed si eos contra istorum calumnias defendamus, quorumdam Hominum caussam videbimur agere, non Ecclesiæ*. Quippe supervacaneum putabat illorum purgationem suscipere. [7] *Quocirca* (inquit) *quæcumque in nos, sive in nostros quasi parcendo, prætereundo dixisti, sine nominibus, sine testibus, sine ullis omnino argumentis, partim culpando quæ culpanda non sunt, non probando, supervacaneum est velle purgare*. Quum autem Petilianus nimis præfracte obtruderet facta, Augustinus tam importunæ pervicaciæ impatiens hoc illi responsum dedit. [8] *Quotiens tibi dicturus sum. Hæc si non probatis ad neminem pertinent; si autem probatis ad nos non pertinent*. Tandem istiusmodi factorum pertæsus rationem affert, cur hæc despiciat, nimirum [9] *ut quæstiones infinitas, atque superfluas de factis hominum, quæ rationem nostram nihil impediunt, auferamus*. Dicat quis: Fortasse Augustinus ea refugiebat, quæ ignorabat. Esto sane; verum & illa declinabat, quæ maxime noverat. Quis enim Augustino notior quam Augustinus? Augustinum semel atque iterum Augustino objecerunt. Quid tum Augustinus? [10] sermonem ad Donatistas convertens, ita eos alloquitur. *Ego Eccle-*

6. Ibid. cap. 15.
7. Cont. lit. Petil. Donat. lib. 3. cap. 14.
8. Cont. eumdem. lib. 2. cap. 78.
9. Epist. 87. ad Emerit.
10. Cont. lit. Petil. lib. 3. cap. 11. et. 1.

Eccleſiæ cauſſam volo, ut noveritis. Ille [Petilianus] *ut meam*. Superius etiam cauſſam aſſeruerat, cur calumnias ſibi a Petiliano affictas præteriret, atque deſpiceret. *Simul* [dixit] *& illud opinor egiſti, ut occupatus mea defenſione ſuſceptam cauſſam etiam ipſe desererem, atque ita hominibus non ad diſputantium, ſed ad litigantium verba converſis, obſcuraretur veritas, quam diluceſcere, atque innoteſcere formidatis. Ego itaque contra tale conſilium quid agam, niſi mea potius defenſione neglecta rem teneam de qua intentionem meam nullus meus criminator excutiat.*

PROPOSITIO II.

Auguſtini Syſtema in facti quæſtionibus contra Donatiſtas Hypotheticum eſt, non Abſolutum.

Conſtantia, qua Auguſtinus identidem Catholicorum facinora ab Donatiſtis objecta inficiatur, magno eſt argumento: non ſibi perdifficile futurum fuiſſe illorum criminationes calumniæ convincere; contra defenſionem hanc de induſtria prætermiſiſſe; de factis aliquando dubitaſſe; quandoque etiam liberius, quam par eſſet, ea conceſſiſſe, prudentis id fuit œconomiæ, ſed nec alia ratione conceſſit quam hypothetica; quippe cui illud maxime propoſitum eſſet, ut probaret, tametſi vera eſſent & Catholicorum crimina, & Donatiſtarum chartæ, non ſtatim inde con-

cludi licitum fuisse Donatistis schisma conflare, & unitatem Ecclesiæ conscindere. Hanc etenim ratiocinationem Donatistæ conficiebant: Qui a fide defecerunt nequeunt fidem præbere; atqui ii qui sunt a parte Cæciliani defecerunt a fide; nequeunt itaque fidem conferre; illorum igitur baptismus irritus est, ex consequenti iterandus. At Donatistæ utpote fallacissimi, non nimium laborabant in thesi probanda; porro plurimum impendebant in assumpto confirmando. E contrario Augustinus, hac fraude perspecta, sapienter factum existimavit, si assumptum negligeret, & in thesi perstaret; quod hanc videret quam facillime ex scripturis rejici posse, non item illud, cui nova semper facta adjiciebant, eaque obscura, & ignota, quæ tametsi falsa, longissimas moras interposuissent, & litis definitionem retardassent. Quamobrem non semel satius judicavit res gestas concedere; quod nihil quicquam thesi propositæ objicere animadverteret. Ex quo clarissime consequitur: Augustini Systema in quæstione facti plerumque hypotheticum fuisse, non absolutum.

PROPOSITIO III.

Augustini sententia de mente Cypriani hypothetica est, non absoluta.

AUgustinus S. Cypriani mentem expendens in libris a se adversus Donatistas conscriptis,

ptis, Cyprianum Cypriano perpetuo opponit. Ex qua antilogia duo consequebantur: alterum, non rite rejici hæreticorum, & improborum hominum baptismum: alterum, non eam esse hanc controversiam, ut Ecclesiæ unitatem scindere liceret. Verum quum in duobus potissimum locis mitissimus Cyprianus ab schismate abhorreat, nimirum in conclusione Epistolæ ad Jubajanum, & in præfatione ad Concilium III. Carthaginiense, ex utroque argumentum sumsit ad Donatistas convincendos, qui propter Baptismi controversiam schisma fecerant, adversus Cypriani monitum, qui postquam suam caussam pro Anabaptismo peroravit, hæc subdit in Epistola ad Jubajanum: *Servatur a nobis patienter, & firmiter caritas animi, Collegii honor, vinculum fidei, & concordia Sacerdotii*. Et in Concilio III. Carthaginiensi sic præfatur: *Superest, ut de hac ipsa re singuli quid sentiamus, proferamus; neminem judicantes, aut a jure communionis aliquem, si diversum senserit, amoventes*. Ecquam expeditiorem, planioremque viam inire poterat Augustinus ad schisma Donatianum dissipandum? quam ejus Doctoris auctoritatem Donatistis opponere, ad quem veluti ad certissimum Patronum, Arcemque munitissimam perpetuo confugiebant. Attamen non prætermisit Augustinus id Donatistis significare, ita demum se agere de Cypriano, ut illis conniveret, suamque disceptationem non ex sui sententia institutam esse, at ex hypothesi Donatistarum; neque hoc expres-

ſius declarare potuit; quod infra ſuis locis aperiemus.

PROPOSITIO IV.

Epiſtola ad Pompejum utrique Syſtemati repugnat.

Quemadmodum concluſio Epiſtolæ ad Jubajanum, & exordium Concilii Carhaginienſis III firmamenta ſunt hypothetici Auguſtiniani Syſtematis, ita Epiſtola, de qua nunc agimus, ad Pompejum, tum abſolutum, cum hypotheticum ſyſtema ſubvertit. De abſoluto otioſum eſt verba facere; de hypotetico jam nunc diſſerendum. Profecto Epiſtola ad Pompejum adeo præjudicata eſt, ut ne in hypotheſi quidem ab Auguſtino recipienda fuerit, qui omnino ejus epiſtolæ tractationem reformidabat. Quum primum hæc epiſtola nominanda fuit, nullum judicium tulit; en ejus verba.[1] *Ad Pompejum etiam ſcribit Cyprianus de hac eadem re, ubi aperte indicat, Stephanum, quem Romanæ Eccleſiæ Epiſcopum tunc fuiſſe didicimus, non ſolum ſibi ad iſta non conſenſiſſe, verum etiam contra ſcripſiſſe, atque præcepiſſe.* Deinde ejuſdem Epiſtolæ diſquiſitionem inſtituens, duo præſtat. Nonnulla primum loca exſcribit, quæ anabaptiſmum propugnant, ſimulque refutat: Tum ad[2] *illa*

1 Auguſt. lib. 5. cont. Donaſt. cap. 23.
2 Ibid. cap. 25.

illa descendens, *quæ in Stephanum irritatus effudit retractare noluit; quia & non opus est. Eadem quippe ipsa dicuntur, quæ jam satis discussa sunt; & ea præterire melius est, quæ periculum perniciosæ dissensionis habuerunt*. Renuit itaque Augustinus hanc Epistolam pertractare, quippe quæ *habuerit periculum perniciosæ dissensionis*. Quum enim ea mens esset Augustino in suscepta de Baptismo disceptatione, ut schisma a Donatistis conflatum dissiparet, diligentissime cavendum fuit, ne ea pertractaret, quæ schisma excitabant, cujusmodi hæc sibi ad Pompejum epistola merito visa est. Hinc illud consequitur: Epistolam ad Pompejum non solum cum Epistola ad Jubajanum pugnare; sed & cum hypothetico S. Augustini systemate.

PROPOSITIO V.

Augustinus de mente Cypriani agens, hypotheticum Systema profitetur.

AUgustinus e septem libris quos contra Donatistas conscripsit, quatuor integros libros impendit, ut probet nihil magis donatiano schismati adversari, quam auctoritatem BB.mi Episcopi, & Martyris Cypriani. Id vero tam serio agit, tam etiam moderate, perinde ac si quæ ex Cypriano a Donatistis contra Hæreticorum baptismum objectabantur, vere Cypriani esse crederet, ac fateretur. Nec secus Augustino agendum fuit,

ne

ne ſchiſmaticis terga vertere videretur. Eodem autem conſilio id egiſſe atque ego affirmo, diſerte profitetur in ſuis retractationibus.[1] *Contra Donatiſtas* [inquit] *auctoritate* BB.mi *Epiſcopi, & Martyris Cypriani ſe defendere molientes, ſeptem libros de Baptiſmo ſcripſi, in quibus docui nihil ſic valere ad refellendos Donatiſtas, & ad eorum prorſus ora claudenda, quomodo literas, factumque Cypriani*. Via plane regia inceſſit Auguſtinus, eas etenim munitiones adoriri oportebat, quibus hoſtis pertinaciſſimus ſeſe propemodum vallaverat; porro Cypriani auctoritas firmiſſimum erat Donatiſtarum munimentum. Quo pacto doctiſſimus Boſſuetius, Auguſtinum æmulatus, nuperos Proteſtantes adortus eſt. Inde vero conjicere tam Boſſuetium, quam Auguſtinum quæ ex Hæreticis contra Hæreticos aſſumſerunt, reapſe vera exiſtimaſſe, nec hominis Critici eſt, nec Viri juſti.

PROPOSITIO VI.

Auguſtinus dubitat de literis, & de facto Cypriani.

EX compluribus Cyprianicis monumentis, quæ ad Donatiſtas refellendos Auguſtinus aſſumit, primas obtinent concluſio Epiſtolæ ad Jubajanum, & præfatio ad Concilinm III. Carthaginienſe, quippe quæ recta feriant ſchiſma donatianum. At Doctor perſpicaciſſimus de utriſque du-

1 lib. 2. cap. 18.

dubitavit. *De Epistola* quidem *ad Jubajanum*, *adtende* [inquit, Cresconium alloquens lib. 3. cap. 33.] *quid ingeram, quod vestrum evertat, & absumat errorem. Cum enim persuadere conaretur vel Sanctus Cyprianus, vel quicunque illam scripsit Epistolam hæreticos ad Ecclesiam venientes baptizari oportere &c.* Una hæc, tametsi singularis, Augustini dubitatio centum dissoluit ejusdem Augustini affirmationes; quandoquidem istæ ad Systema hypotheticum respiciunt, nempe ad jus: illæ vero ad absolutum, videlicet ad factum, an ea Epistola sit Cyprianica? Nec proclivior fuit in Concilium Carthaginiense III. nam contra Cresconium agens, lib. 1. cap. 32. & de objecto sibi a Donatistis Carthaginiensi Concilio responsionem afferens, ita se exseruit. *Nam & Vos profertis Concilium Cypriani, quod aut non est factum, aut a ceteris unitatis membris, a quibus ille non divisus est, merito superatum.* Quid multis moror? Augustinus non modo de Epistolis, sed & de facto Cypriani dubitavit; ita enim ait. *Quanquam non desint qui hoc Cyprianum prorsus non sensisse contendant; sed sub ejus nomine a præsumtoribus, atque mendacibus fuisse confictum. Neque enim sic potuit integritas, atque notitia literarum unius quamlibet illustris Episcopi custodiri, quemadmodum Scriptura Canonica, tot linguarum literis, & ordine, & successione celebrationis Ecclesiasticæ custoditur, contra quam tamen non defuerunt, qui sub nominibus Apostolorum multa confingerent. Frustra quidem, quia illa sic commendata, sic celebrata,*

sic nota est : verum quid possit adversus literas , non canonica auctoritate fundatas , etiam hinc demonstravit impiae conatus audaciae , quod & adversus eas , quae tanta notitiae mole firmatae sunt , sese erigere non praetermisit . Ecquid gravius dici potuit ad clanculum mordendam Donatistarum versutiam, ac temeritatem ? Tum e vestigio duplicem caussam affert, quare literas factumque Cypriani cum Catholicis receperit. *Quod & stilus ejus habet quamdam propriam faciem, qua possit agnosci ; & quod ibi magis contra vos nostra caussa demonstratur invictior, vestraeque separationis praesumtio*. Potuit ne clarius designare sui Systematis hypothesin ? Deinde aperit, Donatistas ad Cyprianum tanquam ad Asylum confugere. *Ac per hoc si perturbati tanquam ad aliquem portum sic ad auctoritatem Cypriani confugitis*. Quo perfugio intercluso jam tum perire oportebat : *si autem jam nec illuc confugere audetis, sine ullo luctamine naufragatis*. Postremo sic suam de Cypriano sententiam concludit. *Porro autem Cyprianus aut non sensit omnino quod eum sensisse recitatis ; aut postea correxit in regula veritatis ; aut hunc quasi naevum sui candidissimi pectoris cooperuit ubere caritatis*. Jam vero, repetenda sunt Augustini dicta quo clarius hypotheticum maximi Doctoris systema ab absoluto secernamus. Primum dubitat de Epistola ad Jubajanum, & de Concilio Carthaginiensi, quae dico propemodum erant ineluctabilia Augustini tela, quibus donatianum schisma jugiter jugulabat.

Nunc

Nunc qui de eo dubitat, quod sibi maxime prodest; annon de eo dubitarit, quod sibi plurimum obest? veluti plurimum obesse Catholicis hanc Epistolam ad Pompejum Augustinus ipse fatetur. *Nam illa quæ in Stephanum irritatus effudit .... periculum perniciosæ dissensionis habuerunt*, quæ iccirco renuit pertractare, & consultius ea præterire existimavit. Tum penitus integram de Cypriani facto, & literis traditionem in suspicionem audacissimæ confictionis adducit. Qui totum rejicit partem non accipit; Quocirca generali illa inficiatione & Epistolam ad Pompejum confictionis insimulavit. Nec solus dubitat, sed cum multis: *Quanquam non desint* [inquit] *qui hec Cyprianum prorsus non sensisse contendant*. Qui vero contra Donatistas id contenderent, nisi ex Afris Catholici, iidemque eruditiores, quibus propterea Augustinus ipse merito suam fidem accomodavit; sed Augustinus id systematis persequebatur, quod erat homini Theologo congruentius: illi quod Historicis; nempe hic hypotheticum, illi absolutum. Hinc si Epistolam ad Pompejum confictam pronuncio, cum quo tandem hoc audeo? cum Augustino scilicet. Ecquis vero Catholicorum vereatur hoc ipsum cum Catholicis sentire? Afris præsertim, non multum a temporibus Cyprianicis disjunctis, rem suam contra Donatistas diligentissime agentibus, quibus cum idipsum sentire non est veritus Augustinus; qui eorumdem sententiam gravissimis conjecturis confirmavit; videlicet, quod ne Scriptura ipsa canonica

 ejus-

ejuſmodi labe immunis fuerit, *contra quam tamen non defuerunt qui ſub nomine Apoſtolorum multa confingerent. Fruſtra quidem, quia illa ſic commendata, ſic celebrata, ſic nota eſt.* Maximam hic comparationem aſſumit; quapropter? niſi ut id oſtenderet, quod ejus maxime intererat. Hoc autem argumentum ab iis ducit quæ majora ſunt, quin & maxima, ad ea, quæ minora: quamobrem? nempe ut innuat: quamfacillimum fuiſſe unam & alteram Epiſtolam ſub Cypriani nomine confingere, quod non defuerint perditi, & mendaciſſimi homines, qui magno molimine, quod difficillimum uſque erat, adorti, *ſub nominibus Apoſtolorum multa confingerent*. Ne vero quis angeretur in hujuſce confictionis auctore inquirendo *confictum* inquit *a præſumtoribus, atque mendacibus*. Nam qui clariorem notam his vocibus ſubſtitueret? qui ne verbo quidem uno interjecto prædixerat in ſuppreſſæ retractationis hypotheſi, fortaſſe ſuppreſſam fuiſſe ab eis, *qui hoc errore nimium delectati ſunt, & tanto velut patrocinio carere noluerunt*. Qui autem in Africa hoc errore delectati ſunt præter Donatiſtas? Ecquis Donatiſtis & ad fallendum inſtructior, & ad mentiendum paratior? Ipſi enimvero ab Auguſtino reprehenſi, quod canonicam ipſam Scripturam corrumperent; quidni ſine injuria ab Auguſtino poſtulentur, quod confinxerint factum, & literas Cypriani?

At enim [dicat quis] Auguſtini dubitatio leviſsima fuit, & ſemiplena; nam ſi graviter, ac plene dubitaſſet, jam illud de Cyprianico ſtilo

præ-

præteriisset; & purgationem hujusce minimi erroris ad *falcem passionis* non retulisset.

Sed hæc assumptio infirmior est quam ut debeat pluribus verbis refelli. Jam enim edixi Axiomate II. ad mentem Cypriani: verum cujuspiam Scriptoris stilum non tam ex locutionis caractere, quam ex caractere Personæ deprehendi. Num vero Cyprianicæ locutionis stilus in his Epistolis, quæ Cypriano adjudicantur, reapse deprehendatur, non ausim Augustino repugnare; sed id tum mihi, tum quibusve Lectoribus omnino compertum est: Cyprianicæ virtutis caracterem neutiquam deprehendi, quod me satis superque movet, quo minus Epistolas illas Cyprianicas existimem. Præterea Cyprianicæ locutionis per Augustinum affirmatio si conferatur cum altera caussa, ob quam Augustinus *non negavit; illud sensisse Cyprianum,* videlicet; *quod ibi magis contra* Donatistas Catholicorum *caussa demonstratur invictior*. fatendum erit: earum literarum per Augustinum receptionem ob Cyprianici stili conformitatem; esse potius anteoccupationem, quam concessionem; ne scilicet Donatistis, qui vehementissime auctoritate Cypriani, cui plurimum fidebant, ab Augustino urgebantur, subterfugiendi daretur locus. Præstabat itaque Augustino eas literas a Donatistis Cyprianicas judicari, *cum appareat in literis Cypriani, communicata esse cum peccatoribus sacramenta, cum admissi sunt in Ecclesiam*; cujus e contrario sacramentorum communicationis cum peccatoribus negatio firmamen-

tum erat hæreſeos Donatianæ. Ad purgationem ſuppoſiti erroris per martyrium quod attinet, in ea ſum ſententia, ut firmiſsime judicem, Auguſtinum nec ſerio, nec dogmatice, ſed ad ſcandalum vitandum, & ad morem Donatiſtis gerendum id pronunciaſſe: *ſi quid in Cypriano fuerat emendandum, purgavit Pater falce paſſionis*. Non enim fugiebat Auguſtinum aureum Cypriani dictum de Hæreticorum martyrio: *Non eſt illa corona fidei, ſed pœna perfidiæ*. Ad hæreticum autem conſtituendum multa concurrunt ex probatiſsima Cani doctrina lib. 12. loc. Theolog. cap. 9. prope finem. *Primum, errorem habeat oportet. Deinde ut is error catholicæ veritati contrarius ſit. Tertio loco certum eſſe neceſſe eſt, atque expeditum, errorem illum veritati catholicæ repugnare. Quarto, errori pertinaciam adjungi. Quinto, ut is error ſit poſt ſuſceptam fidei profeſſionem in illo, qui ſe Chriſto credere profitetur*. Ex recenſitis hiſce quinque conditionibus tertia, & quarta a nonnullis in Cypriano deſiderari videntur: nempe ab iis, qui affirmant: rebaptizantium errorem dogmatico Romani Pontificis decreto fuiſſe damnatum. At enim, ut Romani Pontificis decretum Fidelium univerſitatem obſtringat ab Eccleſia Catholica accipiatur oportet. O magnificam cautionem! Nempe lævus Auguſtinus, qui de pervulgato Stephani Decreto mentionem faciens, ait *Stephanum, quem Romanæ Eccleſiæ Epiſcopum tunc fuiſſe didicimus, non ſolum ſibi* (intellige Cypriano) *ad iſta non conſenſiſſe, verum etiam con-*

tra

tra scripsisse, ac præcepisse. Qui autem jure præciperet? qui ut quibusdam placet, solus præcipere nequibat. Augustinus quidem de Stephani Decreto ex hypothesi differit Donatistarum, sed tamen urget Donatistas ex Sententia Catholica; at neutiquam urgeret, si Africanæ Ecclesiæ acceptio, & confirmatio necessariæ fuissent. Præterea ecquis prudenter inficietur Catholicæ Ecclesiæ acceptionem? Quum Augustinus irrideat minimum numerum Episcoporum; qui Stephano adversabantur, (si quidem adversabantur, de quo dubitat Augustinus), præ tot millibus qui Stephano consentienbant; quum etiam non dubitanter affirmaverit: *Consuetudine teneri orbem terrarum*. Error itaque Cyprianicus aperte veritati catholicæ repugnabat. Forsitan dicat quis, fuisse sine pertinacia; quod vero similius existimandum sit: lenissimum Cyprianum, antequam martyrium subivit, a rebaptizantium sententia recessisse. Qui sic reponit divinat. Nam quo pacto perstet absoluta Cypriani fides cum tali, ac tanta Cyprianicæ palinodiæ dubitatione? Profecto Augustinus, tametsi ex hypothesi quod Cyprianicæ docilitati congruentius erat opinatus, hujuscemodi interpretationi non magnopere confisus est; quum enim sub disjunctione dixisset: *Cyprianus aut non sensit omnino quod eum sensisse recitatis; aut hoc postea correxit in regula veritatis*, e vestigio subtexuit: *aut hunc quasi nævum sui candidissimi pectoris cooperuit ubere caritatis*; quod sane non subdidisset si Cypriani retractatio credi-

credibilior fuisset. Sed tam affabre in signis hæc in SS. Cyprianum calumnia ab audacissimis Donatistis constructa fuerat, ut ei, qui rebaptizantium errori Cyprianum adhæsisse crederet, continuo & pertinacia in errore credenda foret. Hinc post Decretum Stephani Epistola ad Pompejum; hinc Epistola ad Firmilianum: hinc Firmiliani responsum: hinc Concilium Carthaginiense III. Num hæc videntur argumenta esse retractationis, an pertinaciæ?

PRPPOSITIO VII.

Antilogia Cyprianica per Augustinum demonstrata Augustini Systema in hypothesi affirmans transfert ad absolutum negans.

SI Augustinus in disquisitione Cyprianicæ doctrinæ id solum præstitisset, ut Cypriani auctoritate donatianum schisma convelleret, jam tum S. Augustini systema de Cypriani sententia hypotheticum omnino fuisset. Verum, cum non tantum schisma, sed & hæresim donatianam ipsius ejusdem Cypriani doctrina Doctor præclarissimus convincere sit adortus; jam inde consequitur: Augustinum quod ex hypothesi concesserat, absolute negare. Nam si secundo, tertio, quarto, & quinto libro e septem adversus Donatistas conscriptis, & lib. 2. contra Cresconium, nedum suppositas Cypriani pro anabaptis-

mo

mo rationes refellit, sed & Cyprianum Cypriano, & quidem in eo quod ad Baptismum hæreticorum attinet; probat siquidem compluribus Cypriani sententiis,ex receptissimis ejusdem opusculis, literisque collectis, baptismum rite ab hæreticis conferri. Nunc quæro: an Augustinus Cyprianum evincat, vel ne? Si ajunt, jam Cyprianus secum pugnat: si negant, jam Augustinus Donatistis imponit; utrumque perabsurdum est. Pone vero quod est maxime veritati consentaneum, Cyprianum ab Augustino repugnatiæ convinci; tum alterum quæro: an Augustinus jocose obiterque convincat; an serio, & ex instituto? si jocose, certe Augustinus neque suam neque Ecclesiæ caussam agebat; sin autem serio convicit, ut plane convicit; serio igitur Augustinus existimavit, Cyprianum videntem, prudentemque in sententiarum repugnantiam iterum ac tertium lapsum fuisse. Quid gravius? quid acerbius dici, aut excogitari potest & contra Cypriani doctrinam & in summum Augustini erga SS. Cyprianum obsequium? nisi id est, quod fit ratione consequens: Augustinum serio quidem Cyprianum repugnantiæ convincere; at nunquam serio existimare potuisse; Cyprianum tam aperte secum pugnasse. Quod si Cyprianicæ antilogiæ ab Augustino referatæ crebram adjicias Augustini dubitationem de facto, & literis Cypriani, jam tibi hypothetica Augustini concessio in absolutam vertitur negationem.

COROLLARIUM

Ex Hypothetico Augustini Systemate Epistola ad Pompejum confictа concluditur.

PROP. I. *Augustinus refugit facti quaestionem.* Si de rebaptizantium errore agatur, facta omnia, quæ a Donatistis asseruntur contra Catholicam, ab Augustino omittuntur; atque ita omittuntur, ut in speciem concedantur; quanquam calumniæ sint. Hoc pacto Marcellini Papæ idolatria identidem ab Augustino concedi videtur, tametsi de Romano Pontifice, ac Martyre BB.^mo ageretur; quidni solum mentis errorem de Episcopo Carthaginiensi concederet? quem tandem illustri martyrio expiasse putabatur.

Prop. II. *Augustini systema in factis hypotheticum est.* Qui ex hypothesi quidpiam permittit, non affirmat, sed dubitat. Qui sæpius, magnisque momentis dubitat, jam negat. Qui ex hypothesi quæ maxima sunt permittit, annon permittet quæ sunt longe minora? Qui ex suppositione fatetur: a Marcellino thus idolis adultum; quid dubitet & illud fateri: unam, & alteram epistolam a Cypriano conscriptam?

Prop. III. *Augustini Sententia de Cypriano hypotetica.* Si quidpiam ex hypothesi permittas, ex cujus hypothetica permissione præcipuum tuæ caussæ

caussæ præsidium afferatur, longe excusabilior eris, quam si id permittas quæ tuam caussam, nisi pessumdat, implicat quidem certe. Implicabant sane Catholicorum caussam crebra, & famosa quæ ab Donatistis obtrudebantur facta; de quibus non magnopere Augustinus laborabat, quod quæstionem juris persequeretur. Hanc vero juris quæstionem Epistola ad Jubajanum, & præfatio ad Concilium Carthaginiense III. Cypriano adscriptæ non pessumdabant, sed recreabant. Concedendæ erant igitur satius quam documenta quæ officiebant; atqui hæc concessit; ergo & illa consultius concedi oportuit.

Prop. IV. *Epistola ad Pompejum utrique systemati repugnat*. Aptissimum hujusce propositionis exemplum nobis Tullius suppeditat in oratione ad Cæsarem pro Rege Dejotaro. Quum apud Dejotarum hospitem suum Cæsar divertisset, locus erat quidam, in quo erant ea composita, quibus Rex Cæsarem munerare constituerat. Huc Cæsarem e balneo, priusquam accumberet ducere volebat; Ibi enim erant armati, qui Cæsarem interficerent, in eo ipso loco collocati. En crimen. Purgat Cicero insidiis hisce Dejotarum, quod quum inter Dejotari accusatores medicus Regis adesset, aliquod veneni crimen non finxerit, nec medicus quicquam de veneno dixisset; quod fieri potuit, primo occultius in potione, vel in cibo; deinde etiam impunius fit, quod quum est factum negari potest. Finge nunc, scriptum aliquod deprehendi

Dejotari ſtilo elaboratum, in ea ipſa Regis Dejotari cauſſa Cæſari oblatum; in quo id manifeſte enunciatur: qua nocte Cæſar apud Dejotarum eſt diverſatus, venenatam potionem regio medico miſcere juſſum eſſe. An Tullius tam ſtupidus qui ſcriptum iſtud, Regis Dejotari chirographum eſſe vel ex hipoteſi concedat? Idipſum plane in cauſſa Cypriani ab Auguſtino factum animadvertimus. Inter Catholicorum accuſatores, quod Hæreticorum baptiſmum ratum haberent Cyprianus recenſetur; at nihil de veneno, nihil inquam de ſchiſmate quin vehementiſſima ſchiſmatis deteſtatio, eximium, & ſingulare unitatis ſtudium comperitur. Auguſtinus ad argumentandum ſagaciſſimus Cyprianico iſto, tametſi ſuppoſito teſtimonio ad donatianum ſchiſma remordendum in tempore uſus eſt; an tam facilis, & imprudens, ut e veſtigio vel ex hypotheſi concedat, quod donatianum ſchiſma maximopere fovet, augetque? num vero Epiſtola ad Pompejum periculum pernicioſæ diſſenſionis habuerit, præſtat Auguſtinum percontari.

Prop. V. *Auguſtinus hypotheticum de Cypriano Syſtema profitetur*. Si quiſpiam quid in hypotheſi permittat, non continuo id fatetur quod permittit; ſin etiam & hypotheſis rationem, & permiſſionis finem aperiat, ac profiteatur, jam tum propemodum aperte negat; quoniam qui hypotheticam conceſſionem teſtatur, abſolutam pertimeſcit. Profitetur itaque ſe concedere in ſyſtemate hypothetico, ut locus ſuperſit negandi in abſoluto.

Prop.

Prop. VI. *Augustinus dubitat de literis, & facto Cypriani*. Si de eo dubites, quod iterum ac tertium concessisti gravissima dubitandi caussa subsit oportet. Tum etiam longe gravior, si ex ejusmodi vel hypothetica concessione maximum sis consecutus emolumentum; sat enim tunc, superque declaras: longe tibi pluris esse velatæ veritatis amorem, quam apertæ utilitatis studium, & magnificæ defensionis ambitio. Dubitavit sane Augustinus de literis, factoque Cypriani, nec solus dubitavit, sed cum multis, iisdemque Afris, atque Catholicis. Quis igitur dubitet cum Augustino dubitare? cum Afris, cum Catholicis, contra Hereticos, pro Episcopo, ac Martyre Beatissimo? Tum adhuc justius, quod Augustinus dubitavit, tametsi summum erat periculum, ne si Cypriani literas, ac factum pernegaret, fructum amplissimum, quem inde contra donatianum schisma consequebatur, aut interciperet, aut imminueret, aut retardaret quidem certe. Tantum veritatis amor apud Augustinum poterat, ut si in alterutro aliquando peccandum esset, gravius ille quidem Cyprianicæ famæ imminutionem, quam donatiani schismatis diuturnitatem laturus fuisse videatur.

Prop. VII. *Antilogia Cyprianica per Augustinum demonstrata*. Qui probe norunt & eximiam Cypriani doctrinam, & magnam, quæ de illa fuit apud Augustinum existimatio, id sibi minime gentium persuadebit: doctissimum sanctissimumque Cyprianum aliquando ab Augustino ir-

ridiculo haberi potuisse verum enimvero irridiculo habitus fuisset, si ad tam crebram, tamque apertam sententiarum repugnantiam ab Augustino fuisset adductus. Neque enim video quid risum movere hoc possit amplius; nam ut profana exempla, & philosophorum placita, & quotidianum usum prætermittam, in hac ipsa, quam nunc agimus caussam, quum non semel Donatistæ in Collatione Carthaginiensi sibi contradicere comperirentur, magnus Catholicorum risus de illis erat; atque omnium admurmuratio consequebatur. Repete nunc Augustiniani systematis œconomiam, Augustini confessionem, frequentem dubitationem dubitandi caussas, ac demum acerbam caussæ tractationem per demonstratam antilogiam; dein judica, an serio Augustino, quæ jactabantur de Cypriano pro Rebaptizantibus Epistolæ, Cyprianicæ essent, ac dicerentur.

THEQ-

THEOREMA III.

Ex libris S. Optati Milevitani assertæ confictionis suspicionem confirmare.

PROPOSITIO I.

Summum atque perpetuum S. Optati de Cypriano silentium in quæstione de Rebaptizatione.

PARMENIANUS Donatistarum Carthaginiensis Episcopus, successorque Donati, unus idemque primus Donatiani schismatis, atque hæresis polemicam defensionem instituit, literisque mandavit. Hanc vero S. Optatus Milevitanus Catholicorum Antistes apud Numidas sex, aut si mavis, septem libris egregie refutavit hoc ordine, ut libro I. demonstret: Africanum schisma non a Catholicis, sed a Donatistis fuisse conflatum. II. Ecclesiam non apud Donatistas consistere, sed apud Catholicos. III. Non Catholicos vi, & flagitiis sententiam suam tueri, sed Donatistas. IV. Nonnullis sacræ Scripturæ locis, quibus Parmenianus abusus fuerat expensis, Donatistas remordet. V. Non esse Baptismum iterandum. VI. Sacrilega Donatistarum facinora enarrat, ac detestatur. VII. Tandem a Parmeniano objecta refellit. Totis vero septem hisce

hisce nusquam libris Cypriani sententiam meminit de iterando hæreticorum baptismo, & sane si Cyprianus ita de Baptismo ab hæreticis ministrato sensisset, veluti a Donatistis jactatum est, Optatus illum iterum ac tertium meminisse poterat, quin & debuerat: sive in libro IV., in quo eum locum psalmi 140. expendit: *oleum autem peccatoris non impinguet caput meum*, quo versiculo tantopere Donatistæ abutebantur, quem a Cypriano, ceterisque Patribus Concilii Carthaginiensis usurpatum fuisse liquet Epistola ad Episcopos Numidas num. LXX. Sive in libro V. in quo ex instituto Baptismum iterandum non esse ex sacris literis argumentatur. Seu tandem in lib. VII. in quo momenta a Parmeniano pro Rabaptizantibus adducta recitat, excutit, ac rejicit. Cui autem sano, solertique homini verosimile fiat: Parmenianum, qui se Cypriani Cathedram tenere prædicabat, maximo, quod ab Cypriano præsidium consequi poterat, carere voluisse, atque ita tacitum præteriisse, ac si reapse nullum fuisset? Pessime enimvero Parmenianus rationibus suis consuluisset, si quod in caussæ dictione optimum erat, & maximæ apud Afros auctoritatis omnino prætermisisset. Invalidam contra, diminutamque defensionem Optatus pro Catholicis instituisset, si objectas sibi a Parmeniano & vetustissimam totius Africæ consuetudinem, & Cypriani in ea reparanda diligentiam, & in servanda constantiam, & complurium Cathaginiensium Conciliorum sanctiones ne verbo quidem attigisset

Po-

Pone vero Optatum in rerum objectarum confutatione Parmeniani orationi penitus subservisse, atque iccirco Cypriani mentionem subterfugisse, quia Parmenianus subterfugit; num pari œconomia Cyprianicæ doctrinæ memoriam præterire potuit libro primo? cujus quidem libri ea potissimum ratio proposita est, ut Donatianum schisma, undecunque potest, adoriatur, atque dejiciat. Quid vero ad id consequendum aut validius, aut opportunius? quam conclusio epistolæ ad Jubajanum, & præfatio ad Concilium Cartheginiense III. quæ propterea sæpenumero adversus idem schisma Augustinus usurpat; Optatus quidem Cypriani nomine semel, atque iterum eo ipso libro utitur ad Donatianum schisma oppugnandum, atque in eo disputat: non Cæcilianum, sed Majorinum, ac Parmenianum *a Cathedra Petri, vel Cypriani* recessisse. Quod si Rebaptizantium coriphæus Cyprianus fuisset, jam tum reponeret Parmenianus: non se, nec Majorinum, sed Cæcilianum *a Cathedra Petri vel Cypriani* recessisse; namque ipsi in Cypriani sententia de hæreticis baptizandis perstiterant, a qua Cæcilianus discesserat; eo etiam justius, quod constarent Cypriani Epistolæ, & Concilium, nil vero quicquam da retractatione constaret. At neuter Cyprianum opponit, neque hic cum posset, neque ille cum deberet, utrumque igitur latuit integra de Cypriano Rebaptizante historia; quocirca non temere affirmo post S. Optati Milevi-

tani, ac Parmeniani Donatistæ tempora a Donatistis fuisse confictam.

PROPOSITIO II.

S. Optati historia de rebus donatianis in magna apud ipsos, Donatistas existimatione.

PRæclarum de hac re argumentum recenset Augustinus in Breviculo Collationis. III. diei cap. 19. ubi hæc habet. *Sed hinc repulsi* (Donatistæ) *velut aliquid validissimum prolaturi, petieruntOptatum legi,quod & ante petiverant;unde se probaturos dicebant*: *Cæcilianum ab Imperatore damnatum*,& paucis interjectis: *Optatum vero legi multo instantius flagitabant ..... Recitatus est Optatus ....* In quibus verbis Optati cum omnino nulla Cæciliani damnatio, sicut illi demonstraturos se esse promiserant, reperiri potuisset, jussit Cognitor, *totam paginam recitari ..... Quod cum recitaretur, Donatistæ dixerunt: hoc se non petiisse recitari,stomachbantes adversus eos, qui risum tenere non poterant. Quum audiissent quam apertam contra seipsos paginam protulissent. Deinde cum illis verbis, quæ ipsi recitaverant,extenuasse dicerent Optatum damnationem Cæciliani, & exprimere noluisse, flagitatum est ab eis, ut aliunde manifestum legerent quod ab illo dicerent extenuatum. Quod cum minime potuissent .....: aliquando transitum est*. Duo hic perpendere lubet: & præcipuum, quo a Donatistis S. Optati historia

ria habeatur in pretio: & Donatiani animi mobilitatem atque nequitiam; siquidem quum primum multa,quam præconceperant spem, se frustratos animadvertunt, continuo eum ipsum calumniantur,quem *velut aliquid validissimum prolaturi, petierunt legi & multo instantius flagitabant*. Porro utrumque asserto huic Theoremati opitulatur: Alterum quidem, quod ingenui, veracisque scriptoris famam, quæ penes Donatistas de Optato vigebat, indigitet: alterum vero,quod nullo negocio ea ipsa Catholicorum adversus Donatistas argumentatio, in eos inverti possit, qui Epistolam ad Pompejum a Cypriano conscriptam ominantur. Nam quum ajerent Donatistæ: *Optatum extenuasse damnationem Cæciliani,& exprimere noluisse, flagitatum est ab eis, ut aliunde manifestum legerent quod ab illo diceretur extenuatum. Quod quum minime potuissent ..... aliquando transitum est*. Nunc si quis dicat: Cypriani sententiam pro rebaptizantibus a Parmeniano, & adversus schisma ab Optato non extenuatam, sed penitus prætermissam fuisse, flagito & ipse; ut aliunde manifestum legant ante Parmenianum, atque Optatum quod ab illis dicunt prætermissum. Fortasse proferant Eusebium; at si sapiunt, cicatricem refricant; namque Eusebius ut primævis Donatistis viam stravit, ita sequioribus, atque Augustino coævis repugnat, quod singulari propositione demonstrabo. Deinde esto ita sane, ut perhibet Eusebius, undenam proferent tot, quæ circumferuntur

 Epi-

epiſtolæ? atque hanc potiſſimum ad Pompejum omnium acerbiſſimam? Undenam tot ſub Stephano R. P. Concilia Carthagine celebrata? Reliquum eſt, ut vel ipſis fatentibus Donatiſtis Afrorum rumor de Cyprianico Anabaptiſmo poſterior ſit Optato, ac Parmeniano. Quorum alter alteram ad Tychonium pro Donatiſtis epiſtolam miſit, in qua itidem maximum quod nactus fuiſſet in Cypriano præſidium tam alte reticet, ac ſi nullum fuiſſet; fuit igitur nullum.

PROPOSITIO III.

Optatus ipſe in facti, & juris quæſtione ſuas habet hypotheſes.

TAmetſi adeo jactata Cypriani hiſtoria in hypotheſi Donatiana ab Optato recenſeretur, nullam tamen ſententiæ catholicæ negocium faceſſeretur. Verum ille ne in hypotheſi quidem Cypriani factum, atque ſententiam commemorat. Dicat quis: iccirco non commemorare, quod non hypotheticum Syſtema perſequatur, veluti Auguſtinus eſt perſecutus, ſed abſolutum. At reapſe etiam Optatus in rerum geſtarum narratione non unam habet hypotheſin; libro ſiquidem primo objectum Macarii crimen in hypotheſi concedit. Idem præſtat lib. 2. ita ajens: *Fac illum peccaſſe*. Et lib. 7. *Dicamus & nos quod dicitis: reum fuiſſe Macarium*, quem tamen purgat in additione ad 3. lib. in fine. Quin &

in

in ipsa juris quæstione unam, & alteram hypothesin habet. Alteram lib. 4. sic enim habet. *Jam peccator quærendus est, cujus potuit vel oleum timeri, vel sacrificium repudiari. Cesset humana suspicio, utriusque partis præsumtio sileat. Quis sit peccator judicet Deus.* Alteram lib. 7. *sed fac & aliquos esse tota sanctitate perfectos*: non itaque Optatus abhorret ab hypotesi; ergo quod neque supponendo Cyprianum meminerit, apertissimo est argumento hanc Cypriani infamiam ab Donatistis Parmeniano sequioribus prodiisse, nullaque Africana historia fulciri, quæ falsitatis postulari non possit.

COROLLARIUM

Ex tribus adductis, confirmatisque propositionibus S. Cypriani innocentia in jure, atque in facto concluditur.

PROP. I. *Summum, atque perpetuum S. Optati de S. Cypriano silentium.* Si totius Ecclesiasticæ eruditionis amplitudinem excutias, vix, aut ne vix quidem, alterum deprehendas monumentum, quod dissidentium utrarumve partium sententiam peræque confirmet, quemadmodum una eademque Cypriani doctrina, dispari quidem respectu, sed pari momento Catholicis item ac Donatistis adstipulabatur. Catholicis quidem, quod schismatis fugam; Donati-

tiſtis autem, quod Baptiſmi probet repetitionem. Hinc ſi quum primum poſt Donatum, Donatiſtarum, & Catholicorum diſceptatio per Parmenianum, atque Optatum literis demandata eſt, neutri in rem ſuam Cyprianum adducunt; neque illi ut lavacri geminationem, neque noſtri ut unitatis cuſtodiam tueantur, quid hoc eſt niſi maxima omnium Epiſtolarum, quibus egregie utrumque præſtabatur, ignoratio? Qui autem cohæreat ſumma hæc de Cyprianicis literis, & facto inſcientia cum vegeta recentique totius Africæ traditione de repudiato per Cyprianum hæreticorum Baptiſmo, de ſervato in tam aſpera contentione eccleſiaſticæ unitatis vinculo? Qui demum fieri potuit ut poſteriores Donatiſtæ vere, atque ingenue Cypriani auctoritatem proferrent, quam nec priores protulere, nec ipſe protulit Donatus in duobus Conciliis Romano, atque Arelatenſi? tametſi eximiam, ac ſingularem opem inde ſe nanciſci ſperare poterat, ſive ad cauſam obtinendam; ſive ad unam, & alteram damnationem retardandam. Conſule primum ad S. Optati mentem Axioma.

Prop. II. *S. Optati hiſtoria magni ab ipſis habetur Donatiſtis*. Non dubium eſt, quin Donatiſtis illud omnino perſpectum fuerit: S. Optatum milevitanum Catholicæ cauſſam adverſus eorum partem ſtrenue propugnaſſe. Ex quo haud facile percipi poteſt, quo demum animo Optati hiſtoriam ad ſuppoſitam Cæciliani damnationem aſtruendam in collatione proferrent. Quæ porro

damna-

damnatio donatiani ſchiſmatis firmamentum fuiſſet; ſed explorata optimi, tametſi catholici ſcriptoris veracitas in cauſſa fuit, cur quiſpiam ex Donatiſtis eruditior ſit hallucinatus, ceterique imprudentes conſenſerint. Et ſane non leve præbuerat Optatus ſuæ veracitatis argumentum, quum de pſeudo-Martyribus Donatianis ſic effatus fuerat lib.3. *Invitus cogor hoc loco et iam illorum, quorum nolo hominum facere mentionem, quos vos inter Martyres ponitis ... Quæ quidem vellem præterire, ſed ratio veritatis non patitur*. Verum enimvero minus verax, minuſque ingenuus Optatus fuiſſet, ſi propoſitam a Parmeniano S. Cypriani pro Donatiſtis auctoritatem de induſtria prætermiſiſſet. Præterea minus providus, reique catholicæ ſtudioſus minus fuiſſet, ſi quod ab Cypriano contra ſchiſma a Donatiſtis conflatum, præſidium potuiſſet accipere, videns, & prudens culpando ſilentio diſſimulaſſet. Quocirca propoſitio iſthæc eodem recidit, ut tacito priorum Donatiſtarum teſtimonio ob importunum, perpetuumque ſilentium jactata illa de Cypriano traditio ſuppoſita ſit, & poſt Optati tempora excogitata.

Prop. III. *Optatus ipſe in facti, & juris quæſtione ſuas habet hypotheſes*. Si quidpiam per hypotheſim permittas, verbo concedis, re negas. Quod ſi neque ex ſuppoſitione concedas, jam tum aperte negas. Recole duas ſuperiores propoſitiones ad Corollarium, & Axioma II. ad S. Optati ſyſtema.

THEO-

THEOREMA IV.

Ex nonnullis aliis vetuſtiſſimis Scriptoribus S. Cyprianum Rebaptiſmi macula liberare.

PROPOSITIO I.

Profundum Pontii de Cypriani Rebaptiſmo ſilentium.

POntius S. Cypriani Diaconus, ejuſque Vitæ Scriptor antiquior juxta ac veracior, paſtoralem S.Cypriani ſollicitudinem ex ejuſdem literis, atque opuſculis eliciens, tacito indiculum præbet Cyprianicarum lucubrationum. *Finge enim* [inquit] *tunc illum martyrii dignatione translatum. Quis emolumentum gratiæ per fidem proficientis oſtenderet? Quis Virgines aa congruentem pudicitiæ diſciplinam, & habitum ſanctimonia dignum, velut frenis quibuſdam lectionis dominicæ coerceret? Quis doceret pænitentiam lapſos, veritatem hæreticos, ſchiſmaticos unitatem, filios Dei pacem, & evangelicæ precis legem? Per quem Gentiles blaſphemi repercuſſis in ſe iis, quæ nobis ingerunt, vincerentur? A quo Chriſtiani mollioris affectus circa amiſſionem ſuorum, aut quod magis eſt, fidei parvioris, conſolarentur ſpe futurorum? Unde ſic miſericordiam, unde*

ſpa-

patientiam disceremus? Quis livorem de venenata invidiæ malignitate venientem dulcedine remedii salutaris inbiberet? Quis Martyres tantos exbortatione divini sermonis erigeret? Quis denique tot Confessores frontium notatarum secunda inscriptione signatos, & ad exemplum martyrii superstites reservatos incentivo tubæ cælestis animaret? Nunc tria sunt observanda. Primum: ea hic a Pontio Cypriani opuscula enumerari, quæ fuerunt a Cypriano post proscriptionem conscripta. Tum: quæstionem de hæreticorum baptismo post Cypriani proscriptionem exortam fuisse. Deinde: nullam de hac baptismi iterandi gravissima quæstione a Pontio mentionem fieri. Video duas ut minimum tertiæ huic animadversioni ab Cyprianici Rebaptismi assertoribus responsiones afferri posse. Dicant primum: potuisse hoc ipsum iis verbis complecti. *Quis doceret veritatem bæreticos?* Deinde consulto a Pontio prætermissum, sive quod Cyprianicæ gloriæ repugnaret, sive quod Pontius Cyprianicam palinodiam satis compertam haberet. Quid aliud reponi possit [nisi me valde amo] plane non video. Utraque tamen responsio nullo negocio convellitur. Illa siquidem divinatio foret; hæc adulatio.

Enimvero divinaret, qui ea verba. *Quis doceret veritatem bæreticos?* quæ de uno, eodemque Novatianismo vere, & proprie, omnique procul controversia, intelligi possunt, Rebaptizantibus communicaret; quin & falsus esset, quandoquidem nec Cyprianus ipse in communi hypothesi

hæreticos existimabat eos, qui hæreticorum baptismum ratum habebant, ut in Epist. LXXII. Ad Stephanum Papam & Epist. LXXIII. ad Jubajanum, & in præfatione ad Concilium Carthaginiense III.

Quod si iccirco a Diacono amantissimo prætermissum dicant, ne Martyris Beatissimi, suique Præsulis carissimi nomini labem aliquam inferret, jam illud supponant oportet: Stephani decretum ab Africa universa receptum fuisse, atque ab uno Cypriano rejectum; namque ita omnino fingendum est; ut id consequatur, veritum fuisse Pontium, ne Episcopi sui famæ maculam injiceret. Ex quo alterum e vestigio longe gravius acerbiusque consequitur: nimirum BB.^m Cyprianum mortem oppetiisse in errore a Romano Pontifice, atque ab universa Ecclesia damnato. Quocirca inani hujusce martyrii larvæ probe quadrarent Cyprianica illa. *Hæretico nec baptisma publicæ confessionis, & sanguinis proficere ad salutem potest*. Epist. LXXXIII. ad Jubajanum. *Tales etiamsi occisi in confessione nominis fuerint, macula ista nec sanguine abluitur ... Esse Martyr non potest qui in Ecclesia non est.... Non erit illa fidei corona, sed pœna perfidiæ ... Occidi talis potest, coronari non potest*. lib. de Unit. Eccl.

Alii itaque anfractus quærendi sunt, atque alia diverticula. Id unum superest, ut *non incongruenter* cum Augustino Epist. 93. ad Vincent Rogat. al. 48. *de tali Viro existimemus quod correxerit istam sententiam, & fortasse suppressum sit ab eis,*

qui

qui hoc errore nimium delectati sunt, & tanto velut patrocinio carere noluerunt. Ex quo illud fit ratione consequens: Pontium fuisse hoc errore nimium delectatum; suppressit enim omnium primus Cypriani retractationem; sed si tanto patrocinio carere noluit, cur saltem priorem Cypriani in hac sententia constantiam non attigit? Sed cuinam verosimile fiat, Pontium Virum integrum, & Diaconum fidelem, qui Cypriano exulanti *comitem* se, atque *exulem voluntarium* adjunxit, *quod utinam* [inquit] *& in passione licuisset ... Qui multum, ac nimis multum de gloria ejus exultabat; plus tamen dolebat, quod remanserit*. Cuinam, inquam, verosimile fiat in caussa de baptismo, [si qua caussa de baptismo agebatur] secus ab Episcopo Sanctissimo, & dilectissimo Magistro suo, post recens celebratum plenarium Africæ Concilium, sentire potuisse? Annon istud paralogismum sapit? Annon hoc monstri simile fuisset? Sin vero Diaconus obsequentissimus priorem sententiam correxit cum Episcopo sapientissimo, jam tum magis, ac magis injurius in Præsulem, Doctorem, atque adeo Patrem fuisset, si expetitam ab universa Catholica Ecclesia, si laudandam a toto Terrarum orbe, si necessariam ad martyrii emolumentum percipiendum Rebaptismi retractationem reticuisset. Postremo quid commendabilius Afrorum hominum memoriæ, ac posteritati mandari poterat? quam Concilium Carthaginiense III. omninm quotquot retroactis temporibus in Africa celebra-

ta fuerunt, frequentiſſimum, & concordiſſimum, ab eo ipſo Cypriano convocatum, atque abſolutum; ut duo priora Carthaginienſia prætercam. Atqui Cyprianicus Hiſtoricus tria hæc pro Rebaptizantibus Concilia Carthagine habita tam tacitus prætermiſit, ac ſi nulla fuiſſent; quidni nulla enim vero ſint, atque dicantur? Equidem ſic exiſtimo, quum Pontius, Parmenianus, atque Optatus, primus Cyprianicarum, alter Donatianarum, tertius Africanarum rerum peritiſſimus, nihil de Cypriano, nihil de tribus minimum Conciliis, nihil de diſſidio cum Stephano R. P. monumentis prodiderint, ſi & ſexcenti Scriptores Pontio, Parmeniano, atque Optato coævi res Cyprianicas conſcripſiſſent, neminem unum fuiſſe futurum, qui hanc ipſam de geminando baptiſmo Cypriani ſententiam per famam, & populum a ſequioribus Donatiſtis elatam, literis conſignaret.

PROPOSITIO II.

Anonymi Tractatus adverſus Rebaptizantes ſententiam de Cyprianico Rebaptiſmo commentitiam demonſtrat.

Liber de Rebaptiſmate Auctoris Anonymi, cui illud propoſitum eſt, ut probet: *Non debere denuo baptizari qui ſemel in nomine Domini N. J. C. ſint tincti* Rigaltius ex Apographo Sirmondi primus in lucem protulit. Sirmondus

autem

autem descripserat ex veteri M. S. Monasterii S. Remigii Remensis, ubi positus est consequenter post Epistolam Cypriani ad Pompejum. Inquit Baluzius in notis ad hunc librum. Ex quo non pauci Viri eruditi Homini Cypriano coævo adjudicarunt, & in Cyprianum ipsum conscriptum existimarunt. Sed perperam, quandoquidem multa in eo deprehenduntur, quæ Auctori longe sequiori sunt verius accomodata: & longe probabilius n Donatum ipsum, quam in Cyprianum scriptus, sit judicandus.

Primum ex satis obvia Baluzii observatione. Quod illius Auctor testatur se diu post Apostolos scripsisse *post tot sæculorum tantam seriem*. Quod arbitratur Baluzius dici non potuisse ab eo, qui scripsisset ævo Cypriani. Ab excessu enim Apostolorum usque ad tempora S. Cypriani vix invenias sesquisæculum, multo minus tot sæculorum tantam seriem. At usque ad tempora Ursini, cui in Codice Vaticano tribuitur hic libellus, seu Ursicini, uti legit Sirmondus, prætererant plura sæcula.

Mihi vero accuratius libellum hunc perpendenti multo plura, nec minus gravia occurrunt, quæ etiam in caussa sunt, cur adversus Donatum & Donatistas confectum putem, potius quam in Cyprianum. Nil namque vetat quin Donato congruentius quam Cypriano verba illa aptentur. *Ubi nullus alius fructus reperiatur, nisi hic solus, ut unus homo, quicunque ille est, magnæ prudentiæ, & constantiæ esse apud quosdam*

leves homines inani gloria prædicetur, & hæreticorum stupore præditus, quibus hoc unum perditionis solatium est, si non soli peccare videantur, errores, & vitia universarum Ecclesiarum correxisse apud simillimos sui, & compares celebretur. Clarius adhuc Donatianam hæresim de totius Ecclesiæ corruptione hisce verbis indigitat. *Monstri simile est, ipsos Episcopos talia scandala, & turpitudinem Matris Ecclesiæ, si quam putant in hoc negotio esse, contra præceptum legis, & omnium Scripturarum nimis irreverenter cum sua ipsorum turpitudine, & periculo non vereri detegere, quanquam nulla sit in hoc, nisi in errore ipsorum, turpitudo Ecclesiæ .... Ita ut etsi paribus argumentis ex utraque parte congrederemur, tamen quia non poterat ad id, quod innovabatur sine dissensione Fratrum, & damno Ecclesiastico consistere, utique non debeat contra fas quod ajunt, & nefas, idest contra bonum, & æquum Ecclesiæ matri quasi macula inferri.* Quin & olim sancitam Donatiani hujusce erroris damnationem, sive per Arelatense, sive per Nicænum Concilium, seu etiam per C. P.^{num} I. non obscure indigitare videtur tum, quum ait: *In quo genere quæstionis, ut mihi videtur nulla omnino controversia, aut disceptatio potuisset emergere, si unusquisque nostrum contentus venerabili Ecclesiarum omnium auctoritate, & necessaria humilitate nihil innovare gestiret.* Tum etiam clarius. *Namque omne, quod anceps, & ambiguum, & in diversis sententiis prudentium, ac fidelium virorum con-*

stitu-

ſtitutum eſt, ſi contra priſcum, & memorabilem cunctorum emeritorum Sanctorum, & fidelium ſolenniſſimam obſervationem judicatur, damnari utique debet, cum in re olim compoſita, & ordinata, quodcunque eſt illud, quod contra Eccleſiarum quietem, atque pacem in medium producatur, nihil præter diſcordias & ſimultates, & ſchiſmata allaturum. Acrius item Rebaptizantes remordet, atque apertius Donatiſtas deſignat quum expreſſe *hæreticos* vocat, & *aliquos deſperatos homines*. Sed apertiſſime de aliis omnino ab Cypriano, eique coævis Catholicis ex Africa Epiſcopis, Catholicum hunc Apologiſtam intelligendum eſſe confirmat mirum illud, quod in Baptiſmi iteratione contingere prædicabatur; *ut quam mox in aquam deſcenderunt, ſtatim ſuper aquam ignis appareat*. Cujus mirificæ ſignificationis famam ita Anonymus extenuare conatur. *Quod ſi aliquo luſu perpetrari poteſt ſicut adfirmantur plerique hujuſmodi luſus Anaxilai eſſe, ſive naturale quid eſt, quo pacto poſſit hoc contingere, ſive illi putant hoc ſe conſpicere, ſive maligni opus, & magicum virus ignem poteſt in aqua exprimere*. Simile quiddam Guatiæ ſibi eveniſſe Horatius memorat lib. 1 Serm Sat. 5.

. . . . *Dehinc Guatia, lymphis*
Iratis extructa dedit riſuſque, jocoſque:
Dum flamma ſine, thura liqueſcere limine ſacro
Perſuadere cupit.

Sic itidem non ultima pars fuit donatianæ verſutiæ res præter naturæ vires ab Donato, vel

vel Pontio , seu quopiam alio suæ partis gestas excogitare , & prædicare , ut perhibet Augustinus de unit. Eccl. cap. 19. Præcipua proinde caussa , quæ non paucos eruditissimos Homines adduxit , ut opusculum hoc adversus S. Cyprianum conscriptum putarent , singularis enimvero fuit Cypriani eloquentia , cui se ultro concedere Anonymus hic Auctor profitetur;inquit enim :*sed non tam ornate ut Tu,& composite* . Atqui singularem Donati eloquentiam quin & virtutes , seu ut verius loquar cum Tullio lib. 1. Offic.*virtutum simulacra* non semel celebrat Augustinus , præsertim Serm. 37. cap.3. Quare posita , satisque , ut puto , demonstrata, reliquum est , ut ex hoc ipso Anonymo commentum de Cypriano rebaptizante evidentius aperiam .

Ille quidem , qui post tot sæculorum tantam seriem , probabilius sæculo IV. si vere Ursini est , de quo Gennadius cap. 27. Tractatum hunc pro unico edidit Baptismo , sententiam istam de iterando Hæreticorum baptismo *novam*, suoque tempore subortam non dubitanter , nec semel affirmat . Initio namque libelli antequam controversiam aggreditur hæc præfert : *Ideoque nonnulla super hac nova quæstione scripta , & rescripta esse jactabantur, quibus utraque pars ad destruenda aliena summo studio nitebatur* . Ex quo tria ut minimum elicere lubet . Primum , quæstionem de Baptismo hæreticorum libere *novam* vocari ab Auctore IV. sæculi , ex consequenti non antea pertractatam ; quod temere prorsus affirmasset,

ſet, ſi tanto æſtu apud Afros a SS.^mo^, & maximo, & celebratiſſimo totius Africæ Martyre, Doctore, atque Epiſcopo tot literis datis, & acceptis, tot Conciliis celebratis propugnata fuiſſet. Alterum: inanem quemdam falſumque rumorem ſparſum in vulgus de multis ſuper hac diſceptatione *ſcriptis*, *& reſcriptis*: de literis fortaſſe Cypriani ad Stephanum, & Stephani ad Cyprianum, quem tamen rumorem non percrebuiſſe, ſed potius fuiſſe interceptum, ſatis innuunt & tempus, & ſignificatio ejus vocis. *Jactabantur*. Quanquam nil vetat, quominus de ſcriptis & reſcriptis utrinque apologiis explicetur. Tertium: ſcripta hæc, & reſcripta non modo a Donatiſtis, verum etiam a Catholicis ad æmulationem adductis fuiſſe jactata; quemadmodum fieri aſſolet in iis concertationibus, in quibus partium ſtudium invaleſcit; nullam etenim cauſſam tam juſtam, tamque bonam deprehendas, quin ab aliquo injuſte, atque improbe defendatur.

Sub hæc ſi Anonymi lucubrationem diligentius introſpiciamus, & illud comperiemus, quod noſtræ hujuſce diſputationis veluti caput eſt, & ſumma. Occaſionem ſcilicet inveſtigabimus, quam nacti ſunt Donatiſtæ, & confingendi Epiſtolam ad Pompejum, & inſerendi Stephani Decretum. Tot, tantaſque turbas Donatiſtæ perpetuo excitabant, ut Catholicis perdifficile uſque foret ſingula Donatiſtarum ſophiſmata, & commenta, aut verbis refellere, aut memoria retinere. Quocirca & ad ſuos in fide confirman-

dos, & ad hæreticorum cavillationes eludendas præcipua hæc illis cautio fuit, ut unico schemate eosdem imbuerent, nimirum illo quod continenter in omnium ore personabat: *Nihil innovetur; sed observetur id, quod ab Apostolis traditum est; & satis esse, ut Episcopus ab hæresi ad Catholicam revertentibus manus imponat.* Quo in schemate tria continentur. *Innovatio* ex parte Donatistarum. *Traditio* ex parte Catholicorum. *Manuum impositio* ad Catholicam redeuntibus. Quæ prorsus tria ab hoc ipso ingeruntur Anonymo. Primum etenim conceptis verbis nihil innovandum esse denunciat. *In quo genere quæstionis, ut mihi videtur nulla omnino potuisset controversia, aut disceptatio emergere, si unusquisque nostrum contentus venerabili Ecclesiarum omnium auctoritate, & necessaria humilitate nihil innovare gestiret.* Dein nonnullis interjectis argumentum ducit ex hypothesi: *Ita ut & si paribus argumentis ex utraque parte congrederemur, tamen quia non poterat id, quod innovabatur sine dissensione Fratrum, & damno ecclesiastico consistere, utique non debeat &c.* Ad Traditionem quod attinet, multimodis eam prædicat pro unico Baptismate. Quam primum vocat *vetustissimam consuetudinem, ac traditionem Ecclesiasticam.* Tum *Venerabilem Ecclesiarum omnium Auctoritatem.* Deinde *observationem antiquissimam.* Postremo. *tot annorum, totque Ecclesiarum, itemque Apostolorum, & Episcoporum auctoritatem.* At Donatistæ objectæ huic Traditioni mordicus detrahe-

hebant, humanamque jactabant, quod dicerent: sacrorum Codicum auctoritate eam esse destitutam. Hanc responsionem Anonymus in suo Tractatu occupavit plurimis ex sanctis Scripturis argumentis deductis. Quibus expensis e vestigio caussam affert, cur ad Scripturas confugerit, videlicet, ne amplius mentirentur Donatistæ: Unicum Baptisma Verbi Dei Scripti præsidio minime fulciri. Quod tametsi verosimile foret, tamen Donatistarum innovationi consuetudinem illam præferre oportebat. En Auctoris verba, quibus opusculum absolvit. *Praeterea existimo, nos non infirmam rationem veddidisse consuetudinis caussam. Tueamur tamen, etsi posteriore loco id facimus; ne quis putet, nos unico articulo praesentem altercationem suscitare. Quanquam haec consuetudo, etiam sola, deberet apud Homines timorem Dei habentes, & humiles praecipuum locum obtinere.* De manuum tandem impositione meminerat initio libelli, quum dixerat: *Illum, qui foris quidem, sed in nomine Jesu Christi, dominicum acceperunt baptisma, tantummodo imponi eis manum ab Episcopo, ad accipiendum Spiritum Sanctum sufficiet.*

Ex hactenus adductis tria potissimum præstat animadvertere, ad eam, quam hic instituimus quæstionem, maxime pertinentia. Primum: Catholicos in vendicando hæreticorum baptismo non nimium sacris Codicibus fuisse confisos; quod non tam liquido, ut illis placuisset, hæreticorum baptismatis ratihabitio ibi-

dem comperiretur; quia contra non pauca occurrerent, quibus & profanum lavacrum, & oleum peccatoris, & aquam alienam penitus vitare jubebantur. Alterum, quod ex priori consequitur: unicum, idemque summum, atque tutissimum Catholicorum perfugium, solam fuisse Traditionem, quam jure, meritoque ad Apostolis profectam autumabant, quod *venerabili Ecclesiarum omnium auctoritate* munitam intuerentur. Tertium: non magnopere Catholicos laborasse in eo refutando argumento, quo se Catholicam vehementissime urgere Donatistæ ominabantur; quod dicerent: Spiritum Sanctum ab hæreticis donari non posse.

Quibus adnotatis parvo momento caussæ, ac modus confictionis Epistolæ ad Pompejum dignosci possunt. Quis itaque confinxit? Nempe Donatistæ. Qua propter? ad Catholicorum munimenta dejicienda, suaque confirmanda. Quonam tandem modo? specioso scilicet nomine responsi redditi ab Stephano literis Synodicis Concilii II. Carthaginiensis. Nam undique periculosum erat Stephani responsum de integro comminisci. Sive enim graves, exquisitasque rationes Stephani Epistolæ insererent; atque ita sententiam suam videntes prudentesque pessumdedissent. Sive inepta, planeque vitiosa argumenta conglutinarent; sicque operam lusissent; pro magno siquidem, quod sibi inde pollicebantur emolumentum, irrisiones, dedecus, atque dispendium contraxissent. Quid igitur

tur Donatiſtis agendum ſupererat, niſi id, quod erat in proclivi? Quæ momenta Catholicis tria plurimum ſavebant, vellent nollent, Stephani decreto appingenda fuerunt, quando quidem his demum rationibus occurrendum erat ab iis, qui adverſam ſententiam obſtinatiſſime tuebantur. Et reapſe tria Catholicorum momenta ab Anonymo adducta appinxerunt. Traditionem dico, novitatis fugam, & manuum impoſitionem. En Stephani decretum. *Nihil innovetur niſi quod traditum eſt, ut manus illi imponatur in pœnitentiam*. Excute univerſam Epiſtolam ad Pompejum; non demum aliud reperies, quam contortam, captioſam, miſeram, petulantem, furioſam tandem, tametſi ad Cyprianicum ſtilum compoſitam, trium modo enunciatarum rationum confutationem. Quis dubitet ſecus factum a Donatiſtis atque ego argumentor; quum ſemel atque iterum Auctor hic Sæculi IV. quam liberrime, quin & Donatiſtas objurgans pronunciavit: hanc de baptiſmo iterando ſententiam novam prorſus eſſe, & ante ea tempora inauditam. Primo namque hanc de Baptiſmo controverſiam *novam quæſtionem* vocitavit. Subinde ſubtexuit: *Perquam utile eſt credere, & tot annorum, totque Eccleſiarum, itemque Apoſtolorum, & Epiſcoporum auctoritati cum bona ratione acquieſcere: cum ſit maximum incommodum, ac diſpendium Sanctiſſimæ Matris Eccleſiæ adverſus priſca conſulta poſt tot ſæculorum tantam ſeriem* NUNC PRIMUM *repente, ac ſine ratione inſurgere*

Quæ duo postrema temporis adjuncta. *Post sæculorum tantam seriem, nunc primum repente* satis temere ab Anonymo opposita fuissent, si in ea ipsa Africa, in qua ille degebat, dum hæc scriberet, Cypriani ævo tam vehemens, tamque acerba dimicatio super hac ipsa quæstione habita fuisset; & si tot, tantæque Cypriani literæ, ac Synodi per oculos, atque ora hominum circumlatæ fuissent. Quæ si vere Anonymo innotuissent, ille quidem, neque utiliter, nec laudabiliter rem suam egisset, nisi consulto, atque ex instituto earumdem literarum, ac Synodorum tractationem sibi sumsisset, veluti Augustinus sibi sumsit in libris de Baptismo cont. Donat. Ea vero Anonymi verba *in re olim composita, & ordinata* recte ad Arelatense Concilium traducas, quod perspicue ab Anonymo designari superius ostendi Denique ad Cyprianum quod attinet, nil aliud quicquam ex hoc Anonymi tractatu elici potest, quam incertus quidam, futilisque rumor, quo *nonnulla super hac nova quæstione scripta, & rescripta esse jactabantur*. Quæ *scripta* & *rescripta* generali tantum, atque ancipiti appellatione notata, etiamsi ad jactatas Cypriani, Stephanique literas ultro citroque scriptas, & rescriptas, referantur, nihilo plus eruas quam tumultuosam quamdam prædicationem, primo a studio partium profectam, post a pertinaci opinione confirmatam, sed ab afro hoc, antiquissimoque Scriptore verbo indicatam, re despectam, quam

iccirco multo veroſimilius traducas ad rudem indigeſtamque ſtropham de Cypriano, primo in Africa rebaptizante, ab Euſebio confectam, Anonymi temporibus peracerbam, & a poſteris Donatiſtis Auguſtino aut ſupparibus, aut paullo prioribus maturatam. Illud vero non eſt ſilentio prætereundum: Anonymum hunc [quicumque demum is fuerit] hominem fuiſſe emunctæ naris, criticiſque præceptionibus probe inſtitutum; quippequi cum librum, cui titulus, *Paulli prædicatio*, a Rebaptizantibus objectum ſedulo expendens, non uno, nec vulgari argumento commentitium demonſtret; quod iccirco placuit animadvertere, quod rumorem incertum de *multis ſcriptis, & reſcriptis* floccifecerit; quod neutiquam feciſſet, ſi tantum ſuo tempore invaluiſſet, quantum ſequioribus temporibus, Auguſtini præſertim, invaluit.

PROPOSITIO III.

Euſebii narratio de Cyprianico Rebaptiſmo repugnat cum Afrorum Traditione.

EUſebius Antiſtes Cæſarienſis, qui fabellam de Orientalium Anabaptiſmo Arianorum ergo omnium primus commentus eſt, alteram illi de Afrorum Rebaptiſmo, ut Donatiſtis morem gereret, attexuit; ſic vero habet lib. 7. cap. 3. Πρῶτος τῶν τότε Κυπριανὸς, τῆς ἐν Καρχηδόνι παροικίας ποιμὴν, οὐδ᾽ ἄλλως ἢ διὰ λουτροῦ πρότερον τῆς πλά-

νης

τις ἐκκαθηρμένους προσίεσθαι δεῖν ἡγεῖτο, quæ verba sic a Valesio latine redduntur: Primus omnium Cyprianus, qui tunc temporis Carthaginiensem regebat Ecclesiam, hæreticos nonnisi per baptisma ab errore prius purgatos admittendos esse censuit.

Porro Valesius in notis ad hunc locum probat: Eusebium lapsum esse, in eo quod scripsit: Cyprianum primum apud Afros hujusce sententiæ Auctorem fuisse. Quo tamen errore Eusebium purgare nititur Pearsonius ob male translata ab Eusebio priora verba πρῶτος τῶν τότε, dum non perciperet quo illud τότε referre debuit. Certe, inquit Pearsonius πρῶτος τῶν τότε aliud græce non sonat, quam *primus eorum qui tunc temporis extitere, vel floruere:* Hinc Pagius Pearsonii versionem probat, quæ sic habet: *Primus omnium ea tempestate Cyprianus Carthaginiensis Episcopus.*

Verum nec Pearsonii versio, nec Pagii confirmatio me abstrahunt a Valesii interpretatione, quam græcæ significationis veritati propterea propiorem existimo, quod Nicephorus Calixti, qui quamplura ab Eusebio, veluti & a reliquis Græcis Scriptoribus est mutuatus, & in sua historia consarsit, in hoc præsertim cap. 7. lib. 6. in quo tertium, & quartum caput Eusebii ex lib. cit. complectitur, scribit & ipse: Cyprianum hanc de baptismo iterando sententiam omnium primum in Africam invexisse. Quod Nicephori testimonium me potissimum adducit, ut Vale-

sia-

ſianam tranſlationem præferam Anglicanæ: quod videam illud πρῶτος τῶν τότε non aliud græci hominis auribus ſonare quam. *Primus omnum Cyprianus, quic id temporis &c.*

Accedit ratio ex dictione Euſebiana petita. Nam ſi Valeſius Pearſonio Judice non vidit quo illud τῶν τότε referre debuit, minus etiam vidit Pearſonius quo referre debuit illud πρῶτος. Quod enim ad illud τῶν τότε reſpexiſſe Pearſonius exiſtimavit, omnino lapſus eſt. Neque enim percipi poteſt quo pacto Cyprianus *ea tempeſtate primus omnium cenſuerit:* Hæreticos *non niſi per Baptiſmum ab errore prius purgatos admittendos eſſe*; quandoquidem Cyprianus apud Afros nil quicquam primus egerit ſua tempeſtate contra hæreticorum baptiſma, cujus cauſſa primus dici poſſit; neque innovando, neque inſtaurando, neque opinando. Non quidem innovando; nam ſcripſiſſe fertur ad Jubajanum. *Apud nos autem non nova, aut repentina res eſt, ut baptizandos cenſeamus eos, qui ab hæreticis ad Eccleſiam veniunt, quando multi jam anni ſint, & longa ætas, ex quo ſub Agrippino bonæ memoriæ viro convenientes in unum Epiſcopi plurimi hoc ſtatuerunt.* Neque inſtaurando; nam rebaptizandi conſuetudinem ab Agrippino ad Cyprianum nunquam fuiſſe interruptam, ſubdit e veſtigio verbis adductis ex Epiſtola ad Jubajanum. *Atque exinde in hodiernum diem tot millia hæreticorum in Provinciis noſtris ad Eccleſiam converſi non aſpernati ſint, neque cunctati, immo & rationabiliter, & libenter*

amplexi ſint, ut lavacri vitalis, & ſalutaris baptiſmi gratiam conſequerentur. Non denique antiquæ probatæque ſententiæ novum quiddam ſaltem per opinationem ſuperſtruendo; nam quo pacto primus opinaretur apud Afros, quorum nemo unus repugnabat? Fortaſſe dicat quis: Omnium primus rebaptiſmum adverſus Romanum Pontificem, reliquoſque Occidentales Antiſtites africano rebaptizandi mori repugnantes, ſtrenue propugnarit; cujus ab eo ſuſceptæ defenſionis virtute, ſediſque Carthaginienſis ratione jure, ac merito omnium primus ex Epiſcopis ſui temporis, dici, credique poſſit. Eſto ita ſane. Euſebius tamen non propterea *primum* vocat Cyprianum, quod validius, quod illuſtrius, quod firmius, quod etiam ante alios hæreticorum baptiſma receerit; ſed ob hanc unam expreſſam, perſpicuamque cauſſam; quod *omnium primus cenſuerit* hæreticos *nonniſi per Baptiſmum ab errore prius purgatos admittendos eſſe*. Poſtremo omnes tres illæ de Cypriani primatu apud Afros ſuper Baptiſmo hæreticorum conjecturæ funditus evertuntur uno, eodemque Cyprianicæ epiſtolæ loco, quæ eſt num. LXX. ad Januarium &c.. Sic autem habet. *De qua re quamquam & ipſi illic veritatem, & firmitatem catholicæ regulæ teneatis, tamen quoniam conſulendos nos pro communi dilectione exiſtimaſtis, ſententiam noſtram non novam promimus, ſed jampridem ab anteceſſoribus noſtris ſtatutam, & a nobis obſervatam vobiſcum pari conſenſione conjungimus, cenſentes ſcilicet, & pro-*

pro certo habentes neminem foris baptizari extra Ecclesiam posse. Non ait *censens*, sed *censentes*; erat quippe hæc epistola Synodica, individuo nomine ab Episcopis Africæ Proconsularis ad Præsules Numidas conscripta, quibuscum sententiam suam conjungebant. Numidæ igitur idem per se ipsi sentiebant, atque Africæ Proconsularis Episcopi; & universi conjuncti idem prorsus atque Cyprianus. Quonam itaque pacto Cyprianus omnium primus censuerit hæreticos nonnisi per baptismum admittendos esse, plane non video. multo etiam minus, quod ex omnibus epistolis, quæ extant inter Cyprianicas adversus baptismum hæreticorum, prior illa numeretur, quæ est ad Januarium num. LXX. quæ tamen non est Cyprianica, sed Synodica ab Episcopis XXXI. Africæ Provinciæ exarata, quam neutiquam scripsissent, nisi a Numidis consulti; ergo Numidiæ Præsules verius quam Cyprianus apud Afros omnium primi antiquam, atque robustam suæ gentis consuetudinem palam solemni monumento protulerunt, quam deinceps Cyprianus cum suis Coepiscopis confirmavit. Tam itaque concidit Pearsonii castigatio, quam contra exsurgit Valesii animadversio.

Nunc vero cominus Eusebianam historiam cum africana traditione conferamus, quamquam jam contulimus. Illa Cyprianum ostentat, hæc Agrippinum: Utri fides est adhibenda? Si me rogant, neutri. Utramque falsam judico, atque adeo falsam, ut una alterius falsitatem ultro,

 citro-

citroque patefaciat. Eusebius, ut sæpe monui, calumniam de Cypriano omnium primus commentus est. Post Donatistæ receperunt, sed res ad experimentum adducta, non ita ex eorum sententia obvenit, ut illi animo præconceperant. Principio Donatistæ, quantum conjectura assequi possum, Cyprianum perpetuo objiciebant. Catholici contra Apostolicam Traditionem. Donatistæ, quamlibet Cypriani auctoritatem vel ipsis Catholicis consentientibus efferrent, nihilo secius animadvertunt, hanc non eam esse, quæ robustissimam consuetudinem posset extenuare; iccirco delenda illis fuit ea novitatis macula, qua Cypriani auctoritas plurimum imminuebatur, quod ut perficerent homines veteratores, sub nomine Sanctissimi Cypriani tres epistolas confingunt, quibus Episcopus Beatissimus purgat se hac novitatis nota, & sententiam id temporis ab omni Africa custoditam, Africano Concilio ex Episcopis LXX. sub Agrippino Prædecessore suo coacto, adjudicat, quod Concilium ante longam ætatem celebratum affirmat; nam ita prorsus fingendum fuit, ut novam sententiam in Apostolorum ævum propemodum traducerent. Quæ propterea Synodus, si reapse, ut illæ præferunt epistolæ, habita fuisset, dubio procul esset omnium Africanarum antiquissima. At magna Synodus Cypriani, quæ est Carthaginiensis III. a græcis ipsis sacrorum Canonum Collectoribus antiquior habita est, non modo Conciliis Africanis, sed & Antiocheno adversus Paullum

lum Samosatenum celebrato. Præstat audire Theodorum Balsamonem, ac Johannem Zonaram, quos offert ΣΥΝΟΔΙΚΟΝ Ecclesiæ græcæ ex recensione Guillelmi Beveregii Oxonii A. D. 1672. Balsamon quidem sic habet: Αυτὴ ἡ σύνοδος πασῶν τῶν συνόδων προγεστέρα ἐστὶ. προτερεύει μὲν γὰρ τῶν ἄλλων ἡ ἐν ἀντιοχείᾳ τῆς Συρίας γεγονυῖα σύνοδω κατὰ Παύλου τοῦ Σαμοσατέως, ἥτις ἐπὶ Αὐρηλιανοῦ Βασιλέως ἠθροίσθη, αὕτη δὲ κἀκείνης ἀρχαιοτέρα ἐστὶν. *Hæc est omnium Synodorum antiquissima; fuit enim sub Decio; & post eam illa quæ fuit in Antiochia Sysiæ adversus Paullum Samosatenum sub Aureliano Imperatore*. Zonaras vero hæc tradit: Αὐτὴ ἡ Σύνοδος πασῶν τῶν Συνόδων προγεστέρα ἐστὶ. προτερεύει, μὲν γὰρ τῶν ἄλλων ἡ ἐν Αντιοχείᾳ τῆς Συρίας γεγονυῖα Συνόδω κατὰ Παύλου τοῦ Σαμοσατέως ἥτις ἐπὶ Αὐρηλιανοῦ Βασιλέως ἠθροίσθη αὐτὴ δὲ κἀκείνης ἀρχαιοτέρα ἐστὶν. *Et hæc Synodus omnium antiquissima. Nam aliis quidem antiquior est ea, quæ Antiochiæ iu Syria ante Paullum Samosatenum Aureliano Romanorum Imperatore celebrata fuit. Hæc vero vetustate illam quoque antecedit*. Non diffiteor, græcum utrumque Collectorem potuisse ad ea solum Concilia mentem adjicere, quorum extant certi canones, ac præcipuæ sanctiones, tametsi non video, cur e tot Orientalibus Conciliis, quæ super recta Dominici Paschatis celebratione ante Carthaginiense III. habita sunt, quæ identidem meminit Euse-

bius, ne Palestini quidem Concilii, seu potius Cæsariensis; nec Asiatici, seu verius Ephesini, quorum acta extant adhuc, mentionem fecerint. Ut ut est de duobus hisce græcis Collectoribus longe posterioribus, Eusebius certe, qui omnium princeps Cyprianicam de rebaptismo sententiam confinxit, ac posteritati mandavit, velint nolint, cum Cyprianicis monumentis, seu verius cum afrorum rumore manifeste pugnat.

PROPOSITIO IV.

Ruffinus in facto Cypriani discrepat ab Eusebio.

RUffinus Eusebianæ historiæ interpres ad alteram partem capitis 3. lib. 7. Eusebium emendat, qui innuere visus sit, hanc Cypriani contentionem cœptam fuisse sub Stephano, quam Ruffinus existimavit, consultius protrahendam esse ad Cornelii Pontificatum; Baronio in primis repugnante, ceterisque qui Baronium sunt consecuti. Anne Ruffinus temere prorsus hanc epocham Eusebianæ substituit, nullo antiquitatis monumento suffultus? Quid si eruditissimus Interpres aliquam Cypriani ad Cornelium, aut Cornelii ad Cyprianum epistolam, seu tale aliquid inspexisset? ex quo necessario id consequeretur, quod ipse autumabat. Certe Baluzius fatetur, se Cornelii ad Cyprianum Epistolam in duobus antiquis Codicibus deprehendisse, quam primus donavit in sua postrema editio-

tione. Cujus exemplum hic exſcribere lubet, quo commodius eruditi Lectores, qui Baluzium ad manus non habent, eam perlegant, atque expendant.

Epiſtola Cornelii Papæ ad Cyprianum.

„ DIlectionis tuæ non delectabilia, & contra
„ fidei regulam ſcripta ſuſcepi, in quibus
„ nauſeas recognovi; & venena ſermonum ad-
„ verſus Catholicam per totum Orbem diffuſam
„ Eccleſiam horribilibus a te ſuperſeri zizaniis,
„ non laudavi. Quæ peto velociter tollas, ac
„ prædamnes. Quod prius quidem te facere
„ oportebat, quam in mundo letale virus aſper-
„ ſum ſimplicium, & innocentium interficeret
„ mentes. Non ergo dignum eſt rebaptizare.
„ Ergo eradica, & extrica, ut diximus, flo-
„ rulentis ſermonibus, atque dignis per poſte-
„ riorem epiſtolam priora ſcripta, quæ contra
„ Catholicam fidem ſervare cenſuerunt genimi-
„ na viperarum. Non enim decet tantæ Urbis
„ Antiſtitem, excellentiſſimumque Doctorem,
„ ut dum putas hæreſis baptiſma prædamnan-
„ dum, verum baptiſma ſermonibus maculare
„ audias quæ doles contra Apoſtolum ſcilicet
„ repugnare dicentem: Unus Deus, una fides,
„ unum baptiſma.

Equidem ſic exiſtimo, neminem unum eſſe eruditorum hominum, qui hanc epiſtolam commentitiam non judicet; ſed tamen laudanda Baluzii

luzii diligentia qui eam publici juris fecerit; nonnihil enim conducit, & ad Ruffini purgationem, & ad calumniarum frequentiam magis magisque revelandam. Quid si omnia, quæ huic affinia interciderunt monumenta, & ad que Anonymus alludit, nunc patefierent? Annon plurima occurreret criticæ seges, ac materia? quando tanta quidem suppetit post diutissimam omnium hominum credulitatem, post ingeniosissimas, atque infinitas Donatistarum machinationes. Certe Ruffinus Eusebio contradicit. Utrique caussa oblata est, illi quidem errandi, huic vero mentiendi.

PROPOSITIO V.

Summum, ac diuturnum Donatistarum, & Catholicorum ante S. Augustinum de SS. Cypriano, ac Stephano silentium.

SI qua demum Stephani & Cypriani mentio ab Afris facienda fuit, tum maxime, quum primum certissimo Ecclesiæ discrimine, summaque animorum contentione schisma donatianum exarsit. Tunc enim vero utrique antiquitatis rudera expiscari; utrique suæ gentis consuetudinem ad suam partem traducere; At neutri Cyprianum, Stephanumque proponere. Quid vero Catholicis auspicatius contingere poterat? quid etiam expeditius occurrere? quam illud reponere: caussa finita est: Petri Cathedra judi-

judicavit. Nihil innovetur, nisi id quod traditum est. Quid contra Donatistæ aut commodius, aut firmius nancisci poterant? quam in uno, eodemque Cypriano talia, ac tanta munimenta obtinere; & immemorabilem totius Africæ consuetudinem; & sex ut minimum Conciliorum judicium; & Doctoris præstantissimi, ejusdemque Episcopi, & Martyris præclarissimi, nec non africanæ Ecclesiæ Parentis optime meriti, auctoritatem, doctrinam, sapientiam, & fortitudinem. An Donatus ipse, qui omnium afrorum, atque adeo omnium hominum sagacissimus erat, & vocabatur, tam iners, ac desidiosus fuit in summo contentionis æstu, ut quod maximum erat, minimi fecerit? Quid, quod a Meltiade Papa, Romanoque Concilio convictus, exiguum Episcoporum numerum, judiciorumque formulas caussatus est? quum contra posset Cypriani exemplum in obsistendo decreto Romani Pontificis in rem suam adducere. Quid quod ab Arelatensi I. a quo secundo damnatus fuerat, ad Constantinum provocans, &de sacrilega appellatione veluti rabidus,ac furiosus a Cæsare objurgatus, quinque africana Concilia unum sub Agrippino, quatuor sub Cypriano celebrata non protulit? Quid quod Cypriani repugnantiam adversus omnem occidentalem Ecclesiam ad se, suosque purgandum non proposuit? An reapse temperantiores fuerunt Donatus, ac Donatistæ nonnullis nostratibus Episcopis? qui confidentius, quam homines Catholicos deceat,

quotiens Romani Pontificis decreto obsistere ausi sunt, totiens Cypriani exemplum in medium afferunt, perinde ac si unitatis Ecclesiasticæ propugnator acerrimus, summus jam nunc esset schismatis, ac turbarum patronus. Tandem excute quamvis diligenter acta Synodica, literas ac leges Imperatorias, gesta proconsularia a Constantino Magno, quo imperante schisma donatianum erupit, ad Theodosium usque majorem, diuturnum summumque silentium deprehendes de hac rebaptismi caussa, jampridem a Stephano R. P. judicata, atque ab eximio Cypriano compluribus literis, ac totidem fere Conciliis propugnata. Quæ si vere, ita ut jactantur, gesta sunt, jam tum & Donatistas oscitantiæ convincas, & Catholicos imprudentiæ.

COROLLARIUM

Ex hactenus adductis Scriptoribus Cyprianus Rebaptismi macula liberatur.

EX quinque, quos modo expendimus Auctores, tres afros habemus, orientalem unum, occidentalem alterum. Ex afris Pontius Cypriani Diaconus, eique coævus, res Cyprianicas unus idemque diligentissime conscripsit. Optatus, atque Anonymus, sive Ursinus, rebaptizantium res, & unius baptismi rationes enarrarunt. Tam gravis, difficilisque caussæ Cyprianus pars magna fuit. Nihil isti de

de Cypriano. Hos excipiunt Eusebius, Ruffinus, sequioresque Donatistæ, Eusebius agit primus de Cypriano secus a supposito Cypriano, ex consequenti secus etiam a cunctis Afris. Ruffinus pugnat non modo cum Afris, verum etiam cum Eusebio. Si tanto antiquiorum Patrum silentio, eorum scilicet, qui rem cominus, & consulto pertractarunt, tanta posterorum Scriptorum discrepantia accedat, quis jure, ac prudenter ei sententiæ fidem adhibeat, quam, si Cypriani Epistolas Augustino suspectas, seponas, non aliunde accepimus, quam ab homine Ariano, complurium mendaciorum consarcinatore, Donatistis addicto, Paullianis favente, & Cypriani de rebaptismo sententiam generatim atque implexe attingente, verius quam explanante.

THEOREMA V.

Concilii Carthaginiensis III. confictionem demonstrare.

PROPOSITIO I.

Hujusce Concilii absurditas generatim attingitur.

Concilium Carthaginiense, uti vocitant, III. inusitata quædam, & monstrosa com-

complectitur. Episcopi fere XC. Carthagine conveniunt, ut controversiam de hæreticorum baptismo recens in Africa subortam judicent, ac dirimant. Nemo unus convocatorum Antistitum repugnat; sed communi consensione hæreticorum lavacrum veluti profanum, ac nullum rejiciunt. Hoc vero Synodicum judicium præcesserant non paucæ, nec leves dubitationes, quæ ex crebris complurium Episcoporum postulationibus Cypriano factis facile dignoscuntur. Erant & ex Præsulum Afrorum numero nonnulli, qui Cypriano repugnabant, & hæreticorum baptisma suscipiebant, uti ex ejusdem Epistolis, & ex actis hujusce Concilii. Quamobrem unanimis hæc Episcoporum suffragatio cum priori jurgio minime convenit. Pleræque omnes suffragatorum sententiæ ex numero sunt donatianarum calumniarum. Multæ nugatoriæ, multæ contortæ: quædam quæ risum movent, quædam quæ ostentationem, quædam quæ iracundiam designant. Crescens a Cirta affirmat: Concilium initium sumsisse ex lectione literarum Cypriani ad Jubajanum, itemque ad Stephanum. Miratur hoc Augustinus lib. 6. de Bapt. cont. Donat. c. 15. quod in exordio Concilii nonnisi literæ Cypriani ad Jubaianum, & Jubaiani ad Cyprianum perlectæ perhibeantur. Cyprianus in præfatione ad Concilium ait: *censens scilicet, quod semel, atque iterum, & sæpe censuimus*. Quæ quidem declaratio tria ut minimum Carthaginiensia Concilia huic præcedentia appel-

pellat. At Geminus a Furnis, & Junius a Neapoli unicum tantum præcessisse confirmant. Ille siquidem ait: *quod semel decrevimus*; hic vero: *quod semel censuimus*. Item Castus a Sicca, Libosus ab Agra, Felix a Buslaccenis, & Honoratus a Tucca in oppositam consuetudinem acriter invehuntur; quum tamen rebaptizandi consuetudinem ab Agrippino Carthaginiensi Episcopo acceptam, a Concilio LXX. Episcoporum confirmatam, & ab universa Africa per longam ætatem ad sua usque tempora custoditam Occidentalium mori opportune, atque utiliter objicere possent. Quæ rebaptizandi consuetudo si vere apud Afros viguisset, ut præferunt tres Epistolæ Cypriano adjudicatæ, profecto hujus Concillii Episcopi ineptissime quæstionem de consuetudine constituissent; neque in eo disputandum erat: consuetudinem, quæcunque de baptismo hæreticorum fuisset, minimi pendendam esse; sed id potius contendendum: Africæ consuetudinem longe conformiorem esse divinis testimoniis, quam Romanorum consuetudo. Præterea nedum nova res est, atque inusitata, sed segniter, atque improvide facta, ut Synodus, ut si qua alia antiquissima, & frequentissima, in ea ipsa Carthaginiensi Urbe, pro ea ipsa caussa celebrata, a posteriori Concilio omnino reticeretur, præsertim cum minora recensuisset. Tum nihil absurdius dici, aut excogitari potest, quam Beatissimum Cyprianum Ducem, ac Signiferum fuisse istiusmodi conciliabuli

post dogmaticum R. P. decretum. Quid etiam magis deplorandum quam magnum Cypriani Concilium, veluti Sathanæ congregationem ab uno, & altero Concilio œcumenico fuisse proscriptum? Quid tandem aut Cypriano turpius, aut Ecclesiæ Catholicæ perniciosius contingere poterat? quam Doctorem præclarissimum, & Martyrem gloriosissimum, fundamenta jecisse schismatis, atque hæreseos donatianæ. Verum enimvero post duas hæreses teterrimas, qua divini Verbi scripti, ac traditi auctoritas denegatur, illa capitalior est, ac pestilentior, quæ & Romani Pontificis, & Concilii œcumenici correctricem potestatem eliminat. Porro utraque ab hac Synodo eliminatur. Quocirca non magnopere mirandum, si schismatici, atque hæretici, si turbulenti, ac seditiosi homines, novarumque rerum cupidi, ad Concilium istud veluti ad arcem munitissimam, certissimumque asylum perpetuo confugiunt. Quo ne amplius se recipiant, præstat hujusce sentinæ propugnaculum non modo intercludere, verum etiam ejicere.

PROPOSITIO II.

S. Augustini vehemens de hujus Concili veritate dubitatio.

QUemadmodum Augustinus nonnisi in hypothesi Donatistarum, & ob pruden- tem

tem dumtaxat œconomiam Cypriani literas recepit, ita & Concilium Carthaginienſe; quod una cum concluſione Epiſtolæ ad Jubajanum veluti firmamentum eſſet hypothetici ſyſtematis, quod aſſumſerat adverſus ſchiſma donatianum. Ceterum quantum ſibi ſuſpectum fuerit, inde perſpicuo dignoſcere lubet, quod quotiens nominandum fuit Carthaginienſe Concilium, totiens ex Donatiſtarum traditione ſe illud accipere profiteatur. Cypriani ſiquidem literarum, & Concilii Carthaginienſis ſententiarum diſquiſitionem ſuſcepturus lib. 2. con. Don. cap. 1. non obſcure hoc indigitat ita exordiens. *Quantum pro nobis, hoc eſt pro pace Catholica faciant ea, quæ tanquam ex auctoritate Cypriani adverſus nos a parte Donati proferuntur*, & cap. 3. *Vos certe nobis objicere ſoletis Cypriani literas, Cypriani ſententiam, Cypriani Concilium*. Paullo etiam apertius Donatiſtis attribuit lib. 2. c. 6. *Si autem* [inquit] *veſtra ſententia de Baptiſmo vera eſt, Cyprianus & ceteri, cum quibus eum tale Concilium celebraſſe perhibetis, cum eis qui &c.* ſed apertiſſime nimiam ſuam exſerit ſuſpicionem lib. 2. cont. Creſc. cap. 32. *Nam & vos* [ait] *profertis Concilium Cypriani, quod aut non eſt factum, aut a ceteris unitatis membris, a quibus ille non diviſus eſt, merito ſuperatum. Neque enim propterea ſumus Epiſcopo Cypriano meliores* [*ſi tamen cenſuit hæreticos denuo baptizari*] *quia nos &c.* Nos vero Auguſtini ſuſpicionem non probamus modo, verum etiam gravibus

qui-

quibuſdam conjecturis tuemur, atque augemus.

PROPOSITIO III.

Concilium Carthaginienſe III. non concurrit cum Epocha Pontificatus S. Stephani Papæ.

OB unum hoc inſigne, fortunatumque mendacium de tribus ut minimum celebratis apud Carthaginem Conciliis pro abdicando hæreticorum baptiſmo, vel ipſis Viris eruditiſſimis pedetentim, atque inconſiderate in eorum temporum ratione veſtiganda incedendum fuit. Qui ad obitum Lucii Papæ, & ad Valeriani perſecutionem reſpexerunt nonniſi annos II. menſes III. Stephani pontificatui concedunt. Qui vero ad tria hæc Cypriani Concilia mentem appulere annos IV. atrribuunt; neque enim ſecus opinandum fuit, ut africanæ diſceptationes cum Stephani Pontificatu concurrerent. Poſterior ſententia ſolutior, & explicatior viſa eſt Tillemontio, ac Pearſonio; at quæ ad eam confirmandam afferunt momenta, ſuſpecta ſunt, & ſi per eos licet, meo quidem judicio etiam falſa. Afferunt enim Firmiliani Epiſtolam ad Cyprianum, factumque Cypriani. Pace dixerim utriuſque: numquam fuit viri critici res certas miſcere, ut incertis aptarentur. Sed ſi incerta, & ſuſpecta cum certis, longeque probabilioribus non conveniant, hæc tenenda ſunt, illa exigenda. Por-

Porro Firmiliani Epiſtola incerta erat, quippe quæ omnem fugiat antiquitatem; an vero me auctore ſuſpecta, aut etiam falſa? videant qui hæc legunt. Certe literæ factumque Cypriani ſuſpecta fuerunt Auguſtino, Afriſque Catholicis. Pontificatui contra Lucii Papæ, qui proxime Stephano præceſſit in ſeptem MS. Catalogis Bibliothæcæ Colbertinæ, nec non in ſerie Honorii Auguſtodunenſis aſſignantur anni III. menſes III. Stephani vero in primo anni VI. menſes VI. In ſecundo an. VII. men. V. In tertio an. VII. men. V. In quarto an. IV. men. II. In quinto an. VI. men. VI. In ſexto an. IV. men. II. In ſeptimo tandem vocat Stephani locus. Quæ diſcrepantia ſupputationis ſatis indicat, Stephani pontificatum receptiſſimæ de Cypriani anabaptiſmo opinationi fuiſſe accomodatum.

Antequam ad chronologicam argumentationem accedo, tempus, quo Lucius Papa Stephani deceſſor vivere deſiit, definiendum eſt Bucherius de cycl. Victorii &c. Lucium obiiſſe tradit Coſſ. Licinio Valeriano III. & Licinio Gallieno Auguſto II. anno ſcilicet 255.; Pontificatum vero cœpiſſe Coſſ. Gallo II., & Voluſiano, nempe anno 252. poſt diem XIV. Septembris, qua Cornelius martyrium ſubiit, ex quo fit, non amplius duobus annis cum dimidio Eccleſiam adminiſtraſſe. Cui quidem calculo adſtipulatur Georgius Syncellus in chronographia. Confirmat Bucherii datum liber Pontificalis qui habetur apud Bollandum men. April. tom.

1.; detrahit vero Bucherianæ ſupputationi menſes quinque, dies ſeptem. Cui reſpondet & aliud MS. apud Mabillonium Analect. tom. 3. Verum non una conjectura tam ampla computatio rejicitur a Pagio, & Pearſonio tum etiam a Tillemontio, quarum ea præcipua eſt: pauca admodum extare de Lucio apud Cyprianum, multo vero plura haberemus, ſi Lucius in Pontificatu biennium ſaltem abſolviſſet.

Verum hæc animadverſio multimodis peccat. Quid enim ſi fuiſſent deperdita? quid ſi laterent adhuc? quid ſi reapſe non plura fuiſſent? ita rerum, temporumque ratione poſtulante. Porro illud ſedulo ad memoriam, & inquiſitionem revocandum eſt, qnod a tribus hiſce Scriptoribus accuratiſſimis video hic penitus prætermiſſum. Peſtis inquam, quæ ab anno 252. ſecundum Pagium invaluit, & per quindecim continuos annos ab Æthiopia in occiduam uſque terræ partem propagata eſt teſtimonio Cedreni, Philoſtrati, & Zonaræ, quos affert Pagius contra Baronium, qui quod immodice Pomponio Læto recenti, futilique hiſtorico fidem tribuerit, ad annos dumtaxat decem immanem hanc luem produxit. Deinde Pagius auctoritatibus S. Dionyſii Alexandrini, Zoſimi, & Zonaræ dilucide probat: infandum hoc, teterrimumque morbum Scytharum, Perſarumque in Romanum Imperium irruptionibus ſucceſſiſſe; iiſdemque incurſionibus Africam quoque direptam fuiſſe contendit. Et revera complures Chriſti fideles apud

Nu-

Numidas fuisse a barbaris in servitutem abductos, diserte perhibet Epistola Cypriani apud Pamelium LX. num vero a Scythis ut Pagius, an a Mauris, ut Pearsonius meo quidem judicio rectius opinatur, ad rem non attinet; quum Mauri opportune in Numidiam irrumpere potuerint, quo tempore Provincias Romano Imperio subjectas, a Barbaris vastari noverunt. Quo fit, ut Cypriani responsum ad Numidas pro captivis redimendis, pestilentiam antecesserit; quam Epistolam Baronius scriptam autumat anno 254.; Pearsonius vero anno 253. Pagius tandem anno 252. Ex tribus hisce annis quemlibet eligas, undique consequens est, diram illam pestilentiam, quæ tandiu, tamque longe lateque grassata est, uno vel altero Lucii pontificatus anno Romanæ, aut Carthaginiensi Urbi ingruisse. Cœpit siquidem sub Gallo, qui Cornelium, atque Lucium exilio multavit; paulloque post in Urbe sæviisse argumento est Hostiliani mors, quem Gallus adoptaverat, sibique in societarem imperii adsciverat, Consulemque designarat; quem mox peste sublatum scribit Aurelius Victor in Epit. aut pestis obtentu a Gallo interfici jussum, opinatur Zosimus lib. primo Hist. Hinc nil mirum, [ut ad Pearsonii conjecturam revertar], ni Cypriano plura cum Lucio interfuerunt literarnm officia; quandoquidem peste ingravescente, navigatio conquiescit, agricultura deseritur, fames consequitur, commercium intercipitur. Tum vero Episcopi quo-

tidianis, ac multiplicibus caritatis officiis non detinebantur modo, verum etiam distinebantur. Quos inter Cyprianus, ut si quis alius, suæ plebis amantissimus, quantum operæ, ac laboris insumserit, vivo tenus Pontius exarat. Tametsi non video ecquod amplius literarum commercium Lucium inter, & Cyprianum Pearsonius desideret, temporibus præsertim turbulentissimis; quando ipse quidem adversus Launojum probat ex Epistola Cypriani ad Lucium, non semel, sed bis Cyprianum ad Lucium scripsisse.

Nunc alterum proferunt, quo Lucii Pontificatum magis, magisque contrahant. Ajunt siquidem: Lucium inter Martyres connumerari a S. Cypriano Epist. ad Stephanum apud Pamel. LXVII. *Servandus est Antecessorum nostrum Beatorum Martyrum Cornelii, & Lucii honor gloriosus*. Atqui Valerianus quum primum imperium suscepit pacem Ecclesiæ reddidit; non igitur Lucius sub Valeriano, sed sub Gallo martyr occubuit. Certe Baronio, qui Lucii martyrium ex laudato Cypriani loco sibi omnino persuasit, e memoria exciderat Epistola S. Cypriani ad Antonianum apud Pamel. LII. in qua Cornelium purgans hæc ait. *Nonne inter gloriosos Confessores & Martyres deputandus? ..... Etiamsi majestas Domini protegentis, & bonitas Sacerdotem quem fieri voluit, factum quoque protexit, tamen Cornelius quantum ad ejus devotionem pertinet, & timorem, passus est quicquid pati potuit &c.* In exilio vero apud Centumcellas *cum gloria*

gloria dormitionem accepisse tradit Damasi Chronicon, in quo & de Lucio hæc habentur. *Lucius annos tres, menses octo, dies decem: Fuit temporibus Galli, & Volusiani usque Valeriano & Gallieno II. Hic exulfuit, & postea nutu Dei incolumis ad Ecclesiam reversus est*. Decessit *tertio Nonas Martias Consulibus SS.* Nec refert Cornelium, atque Lucium in Actis Sanctorum, ac Martyrologiis Martyrum nomine consignari, quum Donati Chronici auctoritas major sit [ait Pagius] quam Actorum, & Martyrologiorum.

Tertium ad Historicos se recipiunt, ad Eusebium scilicet, Eutychium, atque Nicephorum; quorum primus menses octo: alter totidem non absolutos: tertius septem integros. Verum hæc epocha verbo trium, re unius est Auctoris, nimirum Eusebii, a quo duo reliqui sunt mutuati. Eusebium vero in re chronologica identidem labi, iidem ipsi fatentur Eusebiani Interpretes, atque Adnotatores. Qui autem præstet in rebus Romanæ Ecclesiæ singularem, eumdemque multimodis suspectum græcum historicum, potius quam latinos consulere, eosque potissimum, qui ex instituto Romanorum Pontificum gesta, atque tempora, quam potuerunt accurate, tametsi paucis, posteris consignarunt, videant qui sapiunt. Hinc cum Damasi Chronicon, & liber Pontificalis longe plus quam menses octo, aut septem, Lucii Pontificatui adscribant, annon rectius existimandum, Eusebium menses quidem numerasse, annos vero aut ipsum per se, aut

amanuenses omisisse ? Quod si antiquiora, atque illustriora expetuntur monumenta, en Cyprianus ipse in Epistola ad eumdem Lucium apud Pamel. LVIII. quam sic exorditur: *Et nuper quidem tibi Frater carissime gratulati sumus, cum te honore geminato in Ecclesiæ suæ administratione Confessorem pariter, & Sacerdotem constituit divina dignatio; sed & nunc non minus tibi, & Comitibus tuis, atque universæ fraternitati gratulamur, quod cum eadem gloria, & laudibus vestris reduces vos denuo ad suos fecerit benigna Domini, & larga protectio*. Quo in exordio tria minimum ad rem designantur. Primum, S. Cyprianum semel atque iterum ad Lucium Papam literas gratulatorias misisse; primo quidem de ejus ordinatione, secundo vero de reditu ad Romanam Ecclesiam. Tum, Lucium in exilium pulsum. Deinde, fuisse ab exilio revocatum. Nunc qui septem, aut etiam undecim mensium intervallo Lucii pontificatum definiunt, anne vident, anne sentiunt istiusmodi judicium ingenii esse nimium festinantis, ne dicam precipitis ? Nam tam brevi perfici potuisse & Cyprianicarum literarum repetitionem, & Lucii proscriptionem, atque restitutionem, redolet Tullianam illam exaggerationem de Pompeji felicitate, cui etiam ventos, tempestatesque obsecundasse jactitabat Namque ita prorsus fingendum est, ut quinque minimum expeditiones ab Urbe Carthaginem usque, & vicissim Carthagine ad Urbem contigisse credantur: I. a Romana Ecclesia ad Car-

Carthaginienſem, qua Afros certiores facerent de Lucii ordinatione: II.a Carthaginienſi ad Romanam, qua gratulatorias, & communicatorias literas remitterent: III.a Romana ad Carthaginienſem, qua nuncius de recrudeſcente in Urbe perſecutione, deque Lucii exilio daretur: IV. a Romana item ad Carthaginienſem de Lucii poſtliminio: V. a Carthaginienſi ad Romanam pro gratulando de poſtliminio. Duas vero africanas expeditiones, quamlibet fingas feſtinationem, & celeritatem, Romanis diuturniores fuiſſe, ipſa Cyprianicæ Epiſtolæ ratio demonſtrat; inſcripta enim eſt Cypriani, & Collegarum nomine, quemadmodum & prima quæ intercidit, propterea non ante fieri potuerunt, quam Cyprianus nuncium Roma acceptum Collegis ſuis Africæ provincie, fortaſſe etiam Numidiæ, ſignificaverat, eorumque reſponſa acceperat, quorum deinde communia officia ſuis literis complexus eſt.

Pearſonius qui probe intelligeret, ſententiam de uno, nec abſoluto Lucii pontificatus anno una hac S. Cypriani Epiſtola non modice infirmari, infirmiori conjectura conatus eſt confirmare ex ipſo epiſtolæ contextu petita; ſic enim habet: *Unde illic repentina perſecutio nuper exorta ſit*. Sane particula *nuper* exiguum temporis intervallum deſignat. Neque id Pearſonio negare auſim, & quidem Cypriano Auctore in hac ipſa, quam ille affert epiſtolam. Sed illud Pearſonius non introſpexit, eo ipſo in loco quem adducit, ſermo-

monem haberi de persecutione, qua & Cornelius ad Centumcellas fuerat sub Gallo asportatus, quæ propterea unum ut minimum ante annum exoriri potuit, atque adeo debuit. Neque abest ab usu Cyprianico, ut particula *nuper* tum ad exiguum, tum etiam ad longius temporis spatium denotandum usurpetur. Pro exiguo enimvero usurpavit initio hujus Epistolæ, pro longiori autem Epist. ad Stephanum, quæ Pamelio est LXVII. ubi verba facit *de Novatiano nuper retuso, & refutato, & per totum orbem a Sacerdotibus Dei abstento*, quem tamen ante triennium ab hujus Epistolæ missione retusum, & refutatum fuisse, recte Fellus observavit in notis ad Epist. Pamelio XLI. Quod si latinæ significationis vim, atque usum perpendamus, id continuo comperiemus, Erasmo præsertim observatore lib. primo de copia verborum cap. 150, ex temporis adverbiis particulam *nuper* longius intervallum significare quam *dudum*, ac *jandudum*, brevius autem quam *olim*, & *quondam*. Quæ cum ita sint, non injuria existimandum, tres modo relatos græcos historicos nullo veteri, certoque fultos monumento, sed per oscitantiam dumtaxat Lucii Pontificatum intra septimum, octavumque mensem conclusisse; Pearsonium item, ceterosque, qui Græcos hosce auctores habuerunt, in eo culpandos esse, quod græcis potius, quam latinis Scriptoribus fidem adjecerint; in eo autem tolerabiliores, quod Lucii pontificatum, tametsi satis paullum, longius pro-

produxerint. Fortasse, ut mitius agamus, vel Eusebius, ut dixi, mensibus recte numeratis, per inconsiderantiam annos prætermisit; vel Amanuenses mendo aliquo in autographo comperto prætergressi sunt; vel tandem Eusebiani correctores perspicientes hujus pontificatus epocham cum tribus Conciliis Carthaginiensibus sub Stephano celebratis, de quibus nihil quicquam dubitarunt, consistere non posse, rationem temporum inverterunt, recteque factum existimarunt, si unum & alterum annum Lucio adimerent, ac Stephano adjicerent. Mirum, qualem, ac quantam perturbationem in supputandis annis Episcopatus Cornelii, Lucii, Sixti, ac Stephani hæc de tribus Carthaginiensibus Conciliis credulitas attulerit; profecto talem, ac tantam, ut ad illum qua ratione conciliandum novam, sed inanem antidotum commenti sint Viri ceteroquin ut docti ita & sagaces; vicariatum excogitarunt, quem Papebrochius Lucio sub Cornelio attribuit, & Henschenius Stephano sub Lucio adjudicat. Nec sane aliud succurrebat iis, quibus rata erant tria illa Concilia, magnæque difficultates in iis Epochis ordinandis obversabantur.

Nam quid ego dicam? ut a chronologicis hisce tricis, quæ Lucii Episcopatum involvunt mature me expediam. Enimvero ajo: apposite a Petavio de Doctr. Temp. lib. 13., atque accurate Lucii obitum consignari Anno Christi 255. Licinio Valeriano Aug. III. & Licinio Gallieno Aug. II Coss. Quod ut confirmem movet me potissimum

pacificus Lucii decessus postquam *incolumis nutu Dei ad Ecclesiam reversus est*, ut ex Chronico Damasi; quocirca Supremus Lucii dies in indiculo *depositionis Episcoporum*, non vero in indiculo *depositionis Martyrum* recensetur. Cypriani dictum in Epist ad Stephanum apud Pamel. LXVII. *Servandus est enim Antecessorum nostrorum BB.m Cornelii, & Lucii honor gloriosus*, non id est, ut verum propriumque per sanguinem effusum martyrium designet; *Nam ex modo loquendi illorum temporum* [ait Pagius ad An Chr. 253. num. V.] *Lucius vocatur Martyr, quia pro fide in exilium missus fuit, multaque pro ea pertulit; quod & de Stephano ejus Successore propter eamdem rationem dicendum*. Non itaque probare possum Baronii conjecturam, qui quod Cyprianum severe, ac simpliciter exposuerit, martyrologiis omnibus repugnantibus Lucii mortem sub Gallo constituit, quo imperante persecutio recruduit; neque enim perspicere potuit Cardinalis doctissimus qua demum ratione in Martyrum album Lucium referret, qui sub initium Imperii Valeriani obiisse tradebatur, nempe eo ipso tempore, quo Gallo e vivis sublato pax Ecclesiæ reddita fuerat, & ad annum usque 257. quieverat. Quamobrem Lucius ab exilio revocatus, & ad Ecclesiam incolumis reversus, ut ex Chronico Damasi, & ex Epist. Cypriani LVIII. Confessor, non Martyr in pace occubuit an. 255. Valeriano tertium, & Gallieno secundum gerentibus consulatum, ex Pontificali Bucherii de Cyc. Vict.

Vict., & ex altero Pontificali Bollandi ad menf. Apr. tom. primo, & in Catal. Rom Pont. item ex alio libro pontificali apud Mabbilonium to.3 Analect.& alius tandem extat in Bibliothecæ S. Germani apud Tillemontium Not. 33. ad S. Cyprianum. Confentit Petavius de Doctr. Temp. lib. 13.

Nunc illud breviter attingendum quod ad inftitutam chronologicam quæftionem explanandam nonnihil conducit; quonam fcilicet anno Valerianus Lucium ab exilio reduxerit? Id vero affequi minime poffumus, nifi & alterum ftatuamus, quonam fcilicet anni tempore Valerianus imperium obtinuerit? Non magna lis agitur apud Hiftoricos de tempore, quo Valerianus dictus eft Imperator; nam feu dum in Gallia verfaretur Æmiliano fuperftite, ut Aurelius Victor fentit, atque Eutropius; feu poft Æmiliani interitum in Urbem profectus, ut Zofimus fentire videtur, Imperator inauguratus fuerit, id utrinque confequitur: Valerianum feu æftate fumma, feu autumno ineunte Romam adveniffe anno 253. tumque a Senatu Cæfarem falutatum.

Nunc de Lucii ad fuos reditu inquirendum eft. Qui Lucii Pontificatum tantopere extenuant, id etiam fateantur oportet, hoc ipfo anno jam ad finem vergente Lucium reducem fuiffe, vitaque functum. Eorum quidem judicio nihil vetabat, quo minus ad fuos rediret; nam Valeriano ad Imperium evecto Ecclefia pacem obtinuit. At ifti, mehercle, nihil referre

putant ad historicam veritatem rerum gestarum seriem ita ut fert natura distribuas, an de industria. Qui Valerianum,ubi imperium adeptus est, rem Christianorum publicam item ac Romanorum procurasse opinantur, satiusquidem, sed non verius Religionis studio obsequuntur, quam Imperatorum institutis; eorum præsertim, qui ante piissimum Constantinum imperarunt. Quos inter Valerianum ad civilem Reip. statum ordinandum mentem protinus, animumque adjecisse, & revera composuisse, præclarique sibi Principis famam propterea comparasse, tradunt & hoc Aurel. Victor, & illud Zosimus lib. 1. Num vero tam operosa, tamque longe lateque patens Reip. procuratio intra duos, vel quatuor menses perfici potuerit? Num exulantium Antistitum revocatio, quibus adeo infensi erant, quibus pestilentiam tum sævientem crimini vertebant, ad rem Ethnicorum civilem pertinuerit? Num Lucii literæ hoc ipso anno Cypriano redditæ sint? Num tandem & Cypriani responsum hoc ipso anno Lucius accipere potuerit? judicent prudentes & eruditi. Ego quod meum est, si dixero talia, ac tanta, tamque morosa tam brevi perfici non potuisse, videar fortasse Lectoribus meis minus sollicitus, sed magis cautus. Enimvero ajo, tametsi rem quaquaversus excutias, Lucium sospitem fuisse An. Chr. 254. & ad annum 255., quo secundum libros Pontificales vivere desiit, vere pervenisse.

Jam vero conferenda est Lucii mors cum Ste-

phani

phani deceſſu; quod ut probe fiat utriuſque ordinationis, atque obitus Epocha, ut antiquior, ita & receptior ex Damaſi Chronico eſt hic exſcribenda, ubi ſi quid prætermiſſum ſupplendum, ſi quid erratum emendandum, ſi quid repugnans conciliandum. *Lucius annos tres, menſes octo, dies decem. Fuit temporibus Galli, & Voluſiani uſque Valeriano III. & Gallieno II. Hic exul fuit, & poſtea nutu Dei incolumis ad Eccleſiam reverſus eſt, tertio nonas Martias Conſulibus SS.* Vere ait Bucherius poſt ea verba reverſus eſt deſiderari *deceſſit*. Hæc de Lucio, nunc quæ de Stephano. *Stephanus annos quatuor, menſes duos, dies viginti unum. Fuit temporibus Valeriani, & Gallieni a Conſulatu Voluſiani & Maximini uſque Valeriano III., & Gallieno II.* Tria hic deprehendi videntur errata. Primum quod hæc epocha initium ſumat a *Voluſiano* & *Maximino*, nempe anno 256. Secundum, quod *Maximinum* pro *Maximo* poſuerit. Tertium, quod Stephanum obiiſſe dicat Coſſ. Valeriano III. & Gallieno II. Quod autem a Voluſiano, & Maximo initium capere videatur, in cauſſa fuit duplex Valeriani & Gallieni Conſulatus, quem Valerianus ante quartum, & Gallienus ante tertium ſimul geſſerant. Dicendum ſane fuerat a Valeriano III., & Gallieno II. uſque Valeriano IV., & Gallieno III. ſed veritus fortaſſe, ne eorumdem Conſulum repetitio perturbationem aliquam Lectoribus afferret, ait *a Conſulatu Voluſiani, & Maximini*; ideſt poſt Conſulatum Voluſiani, & Maximini, quem

excepit Consulatus Valeriani secundus, & Gallieni, hunc vero Valeriani tertius, & Gallieni secundus. Id autem vere, & latine dici potuisse, otiosum est admonere. Tum quod *Maximinum* pro *Maximo* posuerit, erratum quidem, sed satis leve, ac proclive. Deinde turpi vertitur errori Consulatus Valeriani III., & Gallieni II., pro Valeriani IV., & Gallieni III. secundum Baronii emendationem, quam Pagius confirmavit. Verum enimvero qui ex Chronici sententia consulatum hunc emendatum existimant, turpissime labuntur. Nam idem Chronicon de Sixto Stephani Successore hæc habet: *Sixtus annis duobus, mensibus undecim, diebus sex. Cœpit a Consulatu Maximi, & Glabrionis usque Tusco, & Basso*. Consulatus autem Maximi & Glabrionis proxime præcessit Consulatum Valeriani IV., & Gallieni III. Quamobrem si constaret Baroniana emendatio, jam illud consequeretur, Sixtum ex Chronici mente ordinatum fuisse ante unnm annum, quam Stephanus occubuit. Series itaque Consularis errore vacat, annorum Calculus non item; namque inter II. ac III. Valeriani Consulatum unicus annus intercessit. Neque tam supinus anachronismus nativo Chronici Auctori adscribendus est, sed externo, atque adventicio, qui seu fastorum Consularium minus peritus, seu Volusiani, & Maximi mentionem ibidem factam minus percipiens, & Consulatum Valeriani III. & Gallieni II. per inconsiderantiam positum existimans, nu-

me-

meravit annos quatuor, menses duos, dies viginti unum, qui sane calculus, ab Volusiano, & Maximo initium capit, ac desinit in Valeriani IV. & Gallieni III. Consulatum. Nec verosimile fit, ut Scriptor nec fatuus, nec ineptissimus, Lucio superstite Stephanum ordinatum existimarit. Illud vero vel me tacente necessario consequitur secundum hujusce libelli Auctorem, Stephanum non amplius quam menses quatuor Pontificatum administrasse. At reclamant Ecclesiasticae Historiae illustratores. Qui demum concurrent Afrorum cum Stephano super baptismo haereticorum concertationes? Qui potuerunt tria Concilia Stephano sedente Carthagine celebrari? Enimvero ajo: concurrere non posse; tantum abest ut responsum reddam.

Jam nunc res in angustum est redigenda. Fac proinde Chronici auctorem lapsum fuisse, quem alterum illi substitues majoris, aut supparis auctoritatis, qui verosimilius Stephani Pontificatum definiat? An Eusebium? quem secuti sunt Hieronymus in Chronico, & Syncellus in Chronographia. Profer igitur, per me licet, Eusebium. Hic vero lib. 7. cap. 5. non quatuor, sed duos dumtaxat annos Stephanum sedisse tradit, & anno 255. e vita excessisse, nimirum Valeriano III., & Gallieno II. Coss. Hinc Eusebius a Damasi Chronico verbo discrepat, re convenit; neque enim tam laboro in ordinationis Epocha vestiganda, quam mortis. At enim Anastasii Pontificalis Eusebio adversatur, &

Ste-

Stephani mortem ad Consulatum Valeriani IV., & Gallieni III. reponit. Quid si Pearsonius, qui idem sentit ac liber Pontificalis, ejusdem Auctorem parvipenderet? Et sane hæc non esse cum Eusebii auctoritate in præsenti controversia conferenda, judicium fuit Tillemontii ad Not. 36. in S. Cyprianum. Cui ultro subscripto, tum quod Hieronymus Eusebio assentiatur; tum quod in eo, quod maxime interest, assentiatur & Damasi Chronicon; tum etiam quod nullum firmum obsistat antiquitatis monimentum; tum tandem quod calumniam a se prætextam de Cypriano rebaptizante per se ipse patefaciat, quippe qui nec tot Cypriani Epistolas, nec tot Carthaginiensia Concilia prospicere potuerit; qui autem prospiceret talia, ac tanta Donatistarum commenta? Enimvero Tillemontio tanti fuit hæc Epocha Eusebiana, ut parum abfuerit, quin ei subscriberet; sed tria illum sunt remorata. Epistola Firmiliani, disceptatio de rebaptismo, & S. Stephani martyrium.

Primum Epistola Firmiliani ad Cyprianum perspicue tempus designat, quo scripta est, nimirum post viginti, & duos fere annos ab Alexandro Severo; hinc quum Alexander obierit an. 234., reliquum est, ut hæc Epistola scripta sit an. 256. post magnum Concilium Carthaginiense, & Stephanus hoc ipso anno superesset, & posteriori tantum anno e vita migrarit.

Sed Tillemontius testem minus idoneum non modo profert, verum etiam præfert. Quæ namque

quæ fides adjicienda sit nedum Epochæ, sed & integræ Firmiliani Epistolæ, fuse jam egi. Equidem in hoc nonnihil admiror, Tillemontium Virum ingenuum, & solertissimum nihil quicquam de hac Epistola dubitasse. Eo etiam magis, quod Tillemontius sibi omnino persuaserit, Dionysium Alexandrinum non tantum Orientalium Antistitum, sed & Cypriani sequestrum apud Apostolicam Sedem fuisse. Non fuit igitur operæ pretium, nec Cyprianica dignum prudentia, Rogatianum in longissimas Asiæ partes ad Firmilianum allegare, nempe ad Episcopum Stephano suspectum, fortasse etiam ob eam caussam invisum, quum tam minori temporis, operisque dispendio intra ipsius Africæ fines ad Dionysium Alexandrinum literas dare posset. Sed tamen ad Firmilianum in Cappadociam nuncium allegasse creditur. Quamobrem? an ut post celebratum Concilium, Stephanique decretum suppetias peteret? Sed præposteræ fuissent. An, ut cum Firmiliano contra Stephanum fœdus iniret? Sed hoc non erat pacifici, ac mitissimi Cypriani, sed hominis turbulenti, ac plane Novatianensis. An ut Firmilinaum consuleret? post Concilium scilicet. An denique ut Firmiliani confirmatione Synodicæ sententiæ pondus adjiceret? Quid hæc præ Concilio XC. fere Episcoporum? Verum enimvero quantumlibet hanc missionem excutias, nunquam percipies qua spe, quove consilio ab Cypriano facta sit; quippe quæ nil aliud præseferat quam jactantiam, obstinationem, turbas,

atque adeo schisma. Qui demum fieri potuerit, ut Rogatianus mense Septembri Carthagine profectus, ante hyemem ex Ponto eodem reverteretur, videant qui rem nauticam callent. Equidem ipse unum & alterum hominem maritimorum itinerum peritissimos consului, nec sine maxima felicitate id perfici posse affirmarunt. Novum, atque inusitatum, planeque admirandum, in duabus hactenus adductis literarum missionibus, atque in tertia mox adducenda, continuo ad Cæsarianam celeritatem, secundamque Pompeji fortunam confugiendum esse. Sed non ea est Firmiliani Epistola, quæ Cypriani mente investigata, atque hisce itineribus compositis, consistere possit. Ampliores, gravioresque plagæ sunt obligandæ, & valentiora remedia quærenda sunt; quæ tamen, [nisi me valde amo,] tam difficile est invenire, ut satius sit ei desperare, quam oleum, ut ajunt, & operam perdere.

Alterum argumentum adversus Epocham Eusebianam inde ducitur a Tillemontio, quod non cohæret cum celeberrima illa disceptatione, quæ super baptismo Hæreticorum habita est Stephanum inter, & Cyprianum. Profecto hæc Tillemontii animadversio nostram magis, quam illius sententiam confirmat. Neque ex incerto certum nanciscimur, sed ex eo quod probabilius est, recte quod minus probabile est rejicimus. Longe autem probabiliorem esse Eusebii Epocham, quam Pontificalis Anastasii ob majorem

illius

illius, quam hujus auctoritatem, vel ipso Tillemontio Auctore mox confirmabimus.

Tertium argumentum respicit ad Papæ Stephani Martyrium, quod minime constaret si ante annum 257. collocaretur, quo quidem anno persecutio per Valerianum Macriano instigatore excitata est; anno vero 255. integra pace Ecclesiam potitam fuisse diserte Dionysius Alexandrinus testatur apud Eusebium lib. 7. cap 21.

Ratio isthæc a Tillemontio recitatur verius quam probatur; siquidem ipse Acta passionis S. Stephani, quæ extant apud Surium, quæque veluti certissima, atque indubitata recepit Cardinalis Baronius, tamquam notha, & a Metaphraste supposita exsufflat not. 3. ad S. Stephanum Papam. Ad verum S. Stephani Martyrium quod attinet, longe graviora sunt quæ ad illud inficiandum afferuntur, quam quæ ad vendicandum. Quid enim gravius afferri potest, quam, indiculus, qui inscribitur *depositio Episcoporum?* in quo Stephani memoria deprehenditur, in *depositione Martyrum* non item. Nec minoris habendum est Augustini de Stephani Martyrio silentium, ex quo multum quidem præsidii adversus Donatistas nactus fuisset, quandoquidem Doctor veracissimus Cypriani martyrium, quod in speciem Donatistis suffragabatur, maximis laudibus effert. Haud secus ab Augustino Vincentius Lirinensis Stephanum Papam præclare celebrat, sed passionem reticet.

Non inficior, Martyrologium quod Hierony-

mi nomine proditum est ad diem II. Augusti Stephanum quemdam Martyrem commemorare, sed in plerisque omnibus exemplaribus deest Episcopi nominatio. Ad hanc ipsam diem Romanum Frontinis Calendarium meminit S. Stephani Papæ. Quæ secuta sunt Gregorii Sacramentarium, & complura martyrologia, Stephanum Papam Martyrem appellant. At jure suspicor, Latinorum dipticis errandi occasionem a græco Menologio oblatam fuisse; quod Græci ad diem II. Augusti recolant S. Stephani memoriam. Quem Stephanum, cui is dies dictus est, non Romanum Pontificem, sed Protormartyrem Græcis esse, adnotavit Florentinius in Martyrologio Hieronymi. Postremo Bedæ, Usuardi, Adonis, & Vandelberti martyrologia nec non libellum Pontificalem, cum duobus indiculis *depositionis Martyrum*, atque *Episcoporum* conferre non ausim. His enim viri eruditi magnopere confidunt, illis non item; nam & idipsum, quod de Stephano tradunt, caput illi obtruncatum fuisse, memorant de Cornelio, quod tamen communi eruditorum calculo refutatur. Sapienter itaque Tillemontius pronunciavit: Acta passionis S. Stephani Papæ adeo a Martyrologiis diffidere, ut omnino fatendum sit, nihil nos certi habere de Martyrio S. Stephani Papæ. Nihil itaque tam firmum, atque adeo tam verosimile affertur, quod Eusebii, ac Hieronony-mi Epocham de Stephani Pontificatu dejicere possit. Sed pervulgata illa opinatio de Stephani

cum

cum Afris dissidio, quæ posterorum mentibus penitus jam insederat, duorum Pontificum Epochas Lucii, atque Sixti, alteram antevertit, postposuit alteram, utramque extenuavit, ut unum Stephani Pontificatum utrinque produceret. De Lucii epocha jam satis dictum, nunc pauca de Sixti morte attingenda sunt.

De Sixto Stephani successore hæc Damasi Chronicon *Sixtus annis duobus, mensibus undecim, diebus sex. Cœpit a Consulatu Maximi, & Glabrioris usque Tusco, & Basso; & passus est VIII. Idus Augusti a Consulatu Tusci, & Bassi*: Ad hæc Pagius. *Duo illi anni per errorem additi, ob Consulatum Valeriani III. & Gallieni II., loco Valeriani IV., & Gallieni III. Sedit itaque tantum menses undecim. Eusebius in historia annos XI. pontificatui ejus assignat, cum menses totidem ei tribuendi fuissent*. Quid si nunc Pagio reponam, duos illos annos, non a Chronico per errorem additos, sed ab Eusebio per inconsiderantiam omissos, & mensium numerum per errorem annis appositum? Annon Eusebius lib. 7. cap. 5. & 9. Auctor est, Dionysium Alexandrinum iterum ac tertium ad Sixtum Stephani Successorem literas dedisse in caussa Rebaptizantium? Ad Stephanum autem semel tantum. Quo satis innuitur, diutius sedisse Sixtum, quam Stephanum; sed & illud peræque grave indicatur; Sixtum inauguratum fuisse ante Valeriani persecutionem; neque enim quisquam hoc sibi persuadebit, persecutionis tempore tot Epi-

ſtolas ab Dionyſio Alexandrino ad Sixtum ſcribi potuiſſe. Veroſimilius itaque in ſeptem catalogis MS. Bibliothecæ Colbertinæ primus, tertius, & quintus Sixti pontificatui aſſignant an. 2.men. 10. dies 23. Sextus, & Septimus an. 2.men: 11. dies vero ille 15., hic 8. Quartus vacat Secundus dumtaxat an. 1. men: 10., dies 23. At menſesillos undecim, quibus Pearſonius, ac Pagius Sixti Pontificatum concludunt, unde ſint expiſcati, equidem ipſe non video, ſed neque ipſi docent. Sane quidem nonniſi ex ea propemodum fatali credulitate de rebaptiſmi quæſtione, quæ tantum in cauſſa fuit, cur trium Pontificum Epochas confidentius, quam par erat, permiſcerent, totque, tamque jactatis & Cypriani literis, & Carthaginienſibus Conciliis accomodarent. Ceterum nullum afferunt certum atque illuſtre antiquitatis monumentum; ſi qua vero adducunt, ſunt enimvero eodem furfure commaculata.

Jam porro ad inſtitutam propoſitionem accedendum eſt; qua id mihi probandum ſuſceperam: tria hæc Concilia Carthaginienſia cum Epocha Pontificatus Stephani conſiſtere non poſſe. Qua in re ſi ſevere, [ut Criticum decet], agere luberet, non amplius quam menſes quatuor Stephani Sedi forent aſſignandi. Sed mihi certum eſt benigne agere, & annos II. cum Euſebio concedere. Age porro, benignius agamus, & Stephano non Valeriano III., & Gallieno II., ſed Valeriano IV., & Gallieno III. Coſſ. e vita deſci-

desciviſſe dicamus, anno ſcilicet 257., non anno 255.; & quod nonnihil intereſt martyrio coronatum; etiam atque etiam contendo, nedum tria Concilia Carthaginienſia, ſed neque hoc unum tertium, de quo potiſſimum lis eſt, cum Stephani Pontificatu poſſe concurrere.

Hanc itaque demonſtrationem ex Epiſtola S. Cypriani ad Stephanum contra Martianum Arelatenſem Pamelio LXVII. exordiri præſtat; cujus quidem Epiſtolæ propoſitum dilucide Cyprianus ediſſerit in ejuſdem exordio; ſic enim habet. *Fauſtinus Collega noſter Lugduni conſiſtens, Frater cariſſime, ſemel atque iterum mihi ſcripſit, ſignificans ea, quæ etiam vobis ſcio utique nunciata tam ab eo, quam a ceteris Coepiſcopis noſtris in eadem provincia conſtitutis, quod Martianus Arelate conſiſtens Novatiano ſe conjunxerit &c.* Quæ narratio, tametſi laconica, multa tamen, eademque moroſa complectitur. Quæ, ut diſtincte, ac ſingillatim percipiantur, harumce miſſionum quaſi laterculum ſubjicimus.

Stephanus ſub initium menſis Aprilis R. P. inauguratur.

Romana Eccleſia mittit ad Cyprianum in Africam literas Clericas cum nuncio de Stephani ordinatione.

Cyprianus Coepiſcopos Africæ ſaltem Proconſularis ex Africæ more de Stephani ordinatione certiores facit.

Cyprianus ſuo & Collegarum nomine Stephano de ejus ordinatione gratulatur.

Stephanus acceptis Cypriani literis, responsum reddit Cypriano cum literis communicatoriis.

Cyprianus ad Stephanum rescribit; atque ita duabus tantum Epistolis ultro citroque datis, & acceptis cum Stephano amicitiam init; non enim unica iniri potuit, ac resciri.

Singularis hujusce Stephani cum Cypriano necessitudinis fama vulgatur, Alpes prætervehitur, & ad Gallorum Antistitum aures defertur.

Faustinus Episcopus Lugdunensis scribit in Martianum Arelatensem ad S.Cyprianum, quem optat suum fore apud Stephanum sequestrum.

Faustinus diu expectato Cypriani responso Cypriano rescribit.

Cyprianus, repetitis Faustini literis adductus, ad Stephanum scribit de Martiano Arelatensi.

Nunc si quis tot, tantaque itinera minori quam unius anni spatio perfici potuisse autumat, videat, ne nimium preceps habeatur; neque enim semper pervium ad navigandum mare; neque nuncii ad profectionem semper parati; neque res eodem, quo narrantur ordine, & celeritate, gestæ fuisse credendæ sunt; ita ut, si quod vero similius videtur sit judicandum, una hæc Martiani Arelatensis causa totum Stephani pontificatum non injura absumsisse videatur; perpetuæque Cypriani cum Stephano conjunctionis, & benevolentiæ non leve tribuat testimonium. Ad quæ Launojus respiciens, duo astruit. Alterum *Si Cypriani ea sit Epistola, oportet eam scriptam esse,*

esse antequam inter eum, & Stephanum oriretur dissensio. Alterum, *Ea quae in his literis continentur, clare ostendunt, primo ejus Pontificatus anno perfici ista non potuisse quae Cyprianum ad scribendum pepulerunt*. Profecto illud, Pearsonio teste, omnes admittunt; hoc, quod sciam, nemo negat, nec video, quam prudenter quisquam negaret; praesertim quod in communi hypothesi sub initium Pontificatus Stephani pax Ecclesiae nondum reddita fuisset *Quis enim existimabit* [non male dixit Launojus] *Episcopos Gallicanos sub ipsa persecutione, communi consilio aliquid molitos esse, aut Stephanum post recens Lucii martyrium in eadem conditione positum solicitare voluisse; aut de his rebus componendis tum cogitasse, quum Valerianus in colligendis Celticis legionibus versaretur, ut cum Æmiliano confligeret?* Quae vero subdit adversus hanc Epistolam ad Stephanum argumenta, satis a Pearsonio, tametsi homine etherodoxo, convulsa sunt.

Verum ne in incertum vagemur, negocium tam operosum certis cancellis concludamus. Fac itaque, intra unum annum absolvi potuisse, continuo & illud fatearis oportet: anno primo Pontificatus Stephani nullam eidem cum Cypriano contentionem fuisse. Reliquus est annus secundus, ex quo menses tantum quinque ad analysin sunt revocandi, eam proinde sic accipe.

Mense Aprili exoritur quaestio de haereticorum Baptismo. Cyprianus ad controversiam hanc dirimendam convocat Concilium ex Africa Proconsulari.

 Disce-

Disceptatio de hæreticorum Baptismo recrudescit.

Cyprianus convocat Concilium II. Carthaginiense.

Literæ Synodicæ mittuntur Episcopis Numidis.

Stephanus item certior fit a Cypriano de Synodica sanctione adversus hæreticorum baptismum.

Stephanus Cypriano rescribit, cui mandat, ne quicquam innovetur, præter id, quod traditum est.

Acriores turbæ fiunt, ob quas sedandas Cyprianus Concilium Carthaginiense III. indicit.

Calendis Septembribus celebratur magnum Concilium Cathaginiense.

Anne vides? anne sentis? talia, ac tanta quinque dumtaxat mensium intervallo neutiquam fieri potuisse. Adde, ex præfatione ad Concilium, non tria hæc fuisse Concilia, sed quatuor quæ tamen quotannis celebrari consuevisse, censuerunt Viri eruditi, sed multo liberalius, quam sinat tam modicus Synodorum numerus; ita ut etiamsi Stephani Pontificatus Epocham ad tres, aut si mavis, ad annos quatuor protrahamus, difficillimum tamen sit quatuor Concilia cum duobus tantum annis componere. Cum duobus, dixi, non cum quatuor; nam annus primus demendus est ob singularem necessitudinem, quæ Cypriano cum Stephano per eum annum intercessit. Demendus etiam annus quartus ex Epocha

cha Concilii Carthaginienſis, quod Calendis Septembribus habitum eſt; Stephanus autem obiit die II. Auguſti anni poſterioris. Supereſt ut duobus annis intermediis ſecundo, ac tertio ſint celebrata, nempe ſingulis ſemeſtribus ſingula Concilia. Annon ita opinari ſapientiſſimo Cypriano injuriosum eſt? tam enim crebra Conciliorum convocatio inepta eſt, importuna eſt, inutilis eſt. Quid enim aliud præſefert, præterquam animum turbulentum, ac puerilem quamdam oſtentationem? Uno verbo non fidei ſtudium, non veritatis amorem, ſed pertinacem opinionem. Num Epiſcopi, qui ſemel atque iterum Carthagine convenerant tam deſides erant, tam hebetes; tamque oblivioſi, ut ſententiam, ſuo quidem judicio, tam juſtam, tam piam, tamque perſpicuam, jampridem ſub Agrippino a Concilio, id temporis frequentiſſimo, ſtatutam, primo Conventu non introſpexerint, ſecundo introſpectam non explanarint, tertio explanatam non promulgarint, aut promulgatam non cuſtodierint? ut propterea quartus cogendus fuerit; ſed nihilo felicius, nam externa, & remotiſſima ſubſidia uſque a Cappadocia expetenda fuerunt. Audacter igitur quin falſo, ac fraudolenter Patres Concilii Carthaginienſis III. ad Numidas Epiſcopos hæc ſcripſerunt, *Sententiam noſtram non novam promimus, ſed jam pridem ab Anteceſſoribus noſtris ſtatutam, & a nobis obſervatam, vobiſcum pari conſcenſione conjungimus, cenſentes ſcilicet, & pro certo tenentes, neminem foris*

 ba-

baptizari extra Ecclesiam posse. Si non novam sententiam promebant, cur in Africa tam oppugnatam? si non oppugnatam, sed certam habitam, atque receptam, quorsum tot Conciliorum convocatio? Annon satius fuisset, Patres Concilii Carthaginiensis I. toto illo biennio Carthagine consistere? ne ad suos reversis confestim, aut paullo post quidem certe, Carthaginem remeandum esset, longeque a suis sedibus, ac plebibus perpetuo vagandum, non ut quicquam aliud, quam rem actam agerent. Prudenter non minus, quam vere monuit Johannes Jacobus Mascou lib. 1. de factis German. historiam uno tantum gradu a fabula distare. Et sane, tametsi cetera deessent, unum hoc de tot Conciliis Carthaginiensibus exemplum satis superque rem confirmaret. Quæ nunquam tuearis nisi crebro ad incertissimas conjecturas, ad corrupta documenta; atque ad hyperboles confugias.

PROPOSITIO IV.

Præfationis ad Concilium Carthaginiense aliis III. nobis IV., octo Loca exscribuntur, totidemque Criticis notis singulatim oppugnantur.

I.

Præf. Cum in unum Carthagine convenissent calendis Septembris.

NOvum Mirum, ac plane violentum sub cælo africano mense Augusto gravi, & crassissimo Concilia convocari. Gravissimam proinde caussam subesse oportebat, cur tam insolens, tamque preceps Concilium tempore adeo importuno, atque incommodo cogeretur; nempe ut idipsum confirmarent, quod tribus superioribus Conciliis, & sex ante menses definitum fuerat. Deinde in Conciliorum Epochis diem, & Consulem omittere, videtur in more esse Donatistarum ex Aug. in Brevic. Collat. diei III. cap. 15.

II.

Episcopi plurimi ex Provincia Africa, & Numidia.

JAm sex ante menses Africæ, & Numidiæ Episcopi literas sibi Synodicas ultro, citro-

que dederant, in quibus summa consensione hæreticorum baptisma rejiciebatur. Jam semel cum Numidis in Africa Concilium celebrarat, ut ex Epist. ad Jubajanum. Qua demum caussa, nisi cenodoxiæ, ac pertinaciæ iterum convenirent, æstibus præsertim maximis urgentibus, atque intolerabilibus?

III.

Et lectæ essent literæ Jubajani ad Cyprianum factæ, item Cypriani ad Jubajanum rescriptæ, de hæreticis baptizandis, quidque postmodum Cypriano Jubajanus idem rescripserit.

DUæ hic attinguntur Jubajani ad Cyprianum Epistolæ. Utraque lecta est in Concilio, sed neutra extat. Verum quum Jubaiani Epistolæ solemni ritu palam in Concilio sint recitatæ, miror cur actis conciliaribus non sint adjectæ. Quidni Jubajani saltem sedes, ac provincia indicarentur? sed ipsum Jubajani nomen nedum historiam præterit, sed & verum Cyprianum. Crescens a Cirta dixit. *In tanto cætu Sanctissimorum Consacerdotnm lectis literis Cypriani dilectissimi nostri ad Jubajanum, itemqne ad Stephanum.* Hæc literarum ad Stephanum commemoratio discrepat a præfatione, in qua omnino prætermittitur.

IV.

IV.

Cyprianus dixit.... Censens scilicet quod semel, atque iterum, & sæpe censuimus.

HInc liquet, tria ut minimum Concilia ante hoc postremum fuisse celebrata pro repudiando hæreticorum baptismo.

V.

Superest, ut de hac ipsa re singuli quid sentiamus proferamus, neminem judicantes; aut a jure communionis aliquem, si diversum senserit, amoventes.

SEcundum hujusce periodi membrum duplex habet incisum: alterum, *Neminem judicantes*: alterum, *aut a jure communionis aliquem, si diversum senserit, amoventes*. Porro illud libertatem notat in sententiis pronunciandis in ipsa Concilii celebratione, qua perdurante Synodi Patres sibi vicissim contradicere, & alterum ab altero dissentire, non tantum licet, sed etiam expedit; hoc vero pertinaciam designat post Synodicam sententiam. Illud prudentiæ erat, ac necessitatis; hoc obstinationis, & schismatis. Demum illud Cypriani dignum sapientia; hoc indignum Cypriani fide, ac docilitate. Posteriora autem verba *Aut a jure communionis aliquem,*

quem, *si diversum senserit*, *amoventes*, post synodicam tantum sententiam referenda esse; inde liquet, otiosum prorsus fuisse, ac supervacaneum, Concilii Patres commonefacere; ne communione privarent eum, qui in ipsa disceptatione eam partem propugnaret, quæ ampliori Patrum suffragatione postmodum proscriberetur. Nam quid ineptius dici potuisset ab homine Synodicarum rerum imperitissimo? Sensus itaque verborum hic est: Neminem a jure communionis amoventes, si post prolatum ab hoc Concilio judicium, quisquam in pugnanti sententia, quanquam Synodice damnata, permanserit. Verum enimvero sensus iste perspicue fidei adversatur, quandoquidem ea, quæ hic assumitur ratio, Concilium ipsum œcumenicum, & plenarium complectitur; siquidem pervicaces, & contradicentes, non ad Romanum Pontificem, non ad Synodum generalem provocantur, sed *ad judicium Domini nostri Jesu Christi*, *qui unus*, *& solus habet potestatem*, *& præponendi nos in Ecclesiæ suæ gubernatione*, *& de actu nostro judicandi*. Quod si unus, & solus J. C. potestatem habet in die judicii de actu cujusque Episcopi judicandi, continuo & illud consequitur: D. N. J. C. nemini sub cælo suam vicem mandasse, non Romano Pontifici, non Ecclesiæ ab generali Concilio repræsentatæ; sed Episcopos ita factos, comparatosque esse, ut nec alterum judicare queant, nec ab altero judicari; sic enim subditur: *Quando habeat omnis Episcopus pro*

li-

licentia libertatis, *& potestatis suæ arbitrium proprium*, *tamque judicari ab alio non possit*; *cum nec ipse possit alterum judicare*. Sed hic locus posteriore nota vellicabitur.

At enim, inquiunt, in eo Concilio Carthaginiensi, non fidei caussa agebatur, sed disciplinæ, cui si quis Episcoporum obstitisset, non ea fuisset istiusmodi contumacia, ut anathemate castiganda foret. Hæc responsio eorum est, qui Cypriani anabaptismum pro certo habent, retractationem non item; quocirca hoc sibi infirmum, levissimumque confugium exquisierunt; ex quo duplicem ob caussam aut abscedant, aut decidant oportet. Primum namque in eo errant, quod putant, eum Episcopum abstinendum non esse, qui in disciplinæ quæstione latæ per Romanum Pontificem, seu per Concilium Generale, sententiæ obsistit, eique cum pertinacia repugnat. Unum, idemque maximum Victoris Papæ cum Asiaticis exemplum, opinationem hanc abunde convellit. Eum siquidem Asianos Antistites *ab unitate Ecclesiæ prorsus alienos pronunciasse* diserte scribit Euseb. lib. 5. cap. 24. neque minis tantum immoratum adversus inane Valesii effatum censuerunt Baronius, & Pagius, & confirmat Illustriss. de Marca lib. 3. c. 3. auctoritate Sozomeni lib. 7. cap. 19. Profecto si tanta impunitas obsistendi, tamque licenter, tamque præfracte, singulis Episcopis congrueret, jam illud consequeretur: non posse hoc tempore eum Episcopum a communione abscindi, qui Luna

XIV. mensis Martii Dominicum Pascha celebraret; qui baptismum ab hæreticis collatum tanquam irritum iteraret; qui tandem, Latinus cum sit, sanctam Eucharistiam in pane fermentato conficeret; quando hæc omnia nonnisi ad disciplinam attinent.

Secundo non leviter hallucinantur, quum nullo discrimine hanc de rebaptismo quæstionem usquequaque ad solam disciplinam existimant pertinere: esto sane, hanc baptismi repetitionem Stephano comparate ad Cyprianum in sola disciplina versari visam fuisse; quod Cyprianus, & qui cum eo rebaptizasse feruntur, forent reapse ut hæreticis infensi, ita fidei studiosissimi, tutiorisque in speciem baptismi assertores, quos propterea Stephanus ob prudentem œconomiam pati posset; num pari æquanimitate Cyprianus perferre poterat Africanos illos Episcopos, qui post Carthaginiense judicium in Stephani sententiam abiissent? Minime gentium. Quippe Stephanus, & qui cum eo consentiebant, nedum unum, aut alterum fidei dogma commaculabant, sed & firmissimum, idemque princeps, atque maximum fidei fundamentum funditus evertebant; siquidem eum baptismum ratum habebant, qui jampridem Agrippino, & LXX. Episcopis; tum Cypriano, tribusque Conciliis Carthaginiensibus; post magno Concilio Carthaginiensi irritum fuit, profanum, atque inane; non quidem speciosis conjecturis, pretextisque probationibus, sed perspectissimis, ac luculentis [ut Cypriano videba-

tur] Sacrorum Codicum testimoniis. Porro qui fidei firmamentum pessumdare putabantur, in disciplina, an in fide peccare putarentur, eorum judicium esto, qui rerum notiones probe percipiunt.

Benignius quidem ego quam Parisiensis Accademia, quæ non in disciplina, *sed in fide Cyprianum errasse* pronunciavit, *non obstante glorioso Martyrio*: Nec mitius Natalis Alexander ad sæcul. III. dissert. 12. art. 4. *Denique si res fidei visa est, non fuit necessarium universæ Ecclesiæ Concilium, ut inexcusabiles essent Africani, & Orientales, qui hæreticos rebaptizabant; siquidem non excusantur qui errorem contra fidem a Sede Apostolica damnatum pertinaciter propugnant, etiam ante Concilii OEcumenici celebrationem, ut in caussa Pelagianorum videre est, quibus spem Concilii Generalis ademit S. Augustinus*. Sed quid hæc ad Ecclesiæ Catholicæ, & in Spiritu Sancto congregatæ judicium? Ecclesia enimvero unius baptismatis confessionem C.^{pno} symbolo attexuit, cujus baptismatis unitatem ex cap. 4. ad Ephes. desumtam quod rebaptismi cum vindices, tum oppugnatores promiscue ad suam sententiam stabiliendam usurparent, perspicuo est argumento, hanc de baptismo iterando quæstionem fidei fuisse, non disciplinæ.

Instet quis: declaratio isthæc, quæcunque tandem ea sit, ferenda est, atque excusanda, quod reapse Cyprianica sit, & jandiu a Cypriano proposita in Epist. ad Antonianum Pamel.

LII., in qua obiter pristinam in lapsos severitatem a se remissam excusans, iisdem propemodum verbis eamdem sententiam recudit. Ait namque. *Et quidem apud Antecessores nostros quidam de Episcopis istic in Provincia nostra dandam pacem mœchis non putaverunt, & in totum pœnitentiæ locum contra adulteria clauserunt, non tamen a Coepiscoporum suorum Collegio recesserunt, aut Catholicæ Ecclesiæ unitatem, vel duritiæ, vel censuræ suæ obstinatione ruperunt, ut quia apud alios adulteris pax dabatur, qui non dabat, de Ecclesia separaretur. Manente concordiæ vinculo, & perseverante Catholicæ Ecclesiæ individuo Sacramento, actum suum disponit, & dirigit unusquisque Episcopus, rationem actus sui Domino redditurus.*

Hoc vero factum a Cypriano adductum, atque purgatum, tantum abest, ut affine sit superiori, quin contra maxime dispar est, ac dissimillimum. Hic sine ulla controversia de disciplina agitur: ibi, ut jam dixi de fide. Nam quod lapsis Novatianus, quod mœchis Cypriani Antecessores indulgentiam denegarent, speciem habebat non exiguam, nec prorsus inanem salutaris severitatis; quod contra Cyprianus lapsos ad pacem reciperet, clementiæ fuit opportunæ, & Christi Domini præceptionibus accomodatæ. Lapsis tamen, quanquam ab Ecclesia rejectis, non omnis spes salutis adimitur, neque omnis ad veniam aditus intercluditur; sed pœnitentiæ virtute relevantur, & ad pristinam pacem reducun-

cuntur. At hæreticorum baptismate ablutis, & salutari Ecclesiæ lavacro privatis, infantibus præsertim, ex afficta Cypriano sententia, cæli janua obstructa est. Jam vero quæ necessitate medii ad æternam vitam obtinendam necessaria sunt, ambigere an ad fidem pertineant, nedum ineptum, sed & turpissimum est. Sed quæ spectant ad disciplinam provide, atque utiliter immutantur ex Cap. *Non debet* de consang. & affin. *Non debet reprehensibile judicari, si secundum varietatem temporum statuta quandoque variantur humana, præsertim cum urgens necessitas, vel evidens utilitas id exposcit: quoniam ipse Deus ex iis, quæ in veteri Testamento statuerat, nonnulla mutavit in novo.*

IV.

Neque enim quisquam nostrum Episcopum se esse Episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem Collegas suos adigit.

CEnsuit Baronius, non obscure hic Stephanum designari; at Baronius non plene rem est assecutus; nam quod Stephanum designari dixerit hallucinatus est, verius dixisset: Romanum Pontificem; verissime Meltiadem. Sed quod Romanum Pontificem designari dixerit a SS.^{mo} Cypriano, pace dixerim tanti Viri, mentitur; neque enim dubitem compertum menda-

cium Baronio exprobrare, quandoquidem ipse non dubitavit BB.mo Firmiliano exprobare. Primatum siquidem, summamque Romani Pontificis potestatem super universam Ecclesiam pari ratione ab Cypriano agnitam fuisse, atque hoc tempore agnoscit Romana Ecclesia planum faciam, idque fuse, atque ex instituto peculiari lucubratione. Ad hunc locum quod attinet, duplex hic proponitur persona, altera Stephani, Cypriani altera. Si utramque auferamus, quam facillime sub mitissimi Cypriani persona furiosos Donatistas agnoscemus, veluti sub Stephani Persona Meltiadem Romanum Pontificem. Quæ donatiana versutia satis superque referatur tum rabida ista declaratione, tum nonnullis, qui in ea deprehenduntur in fide errores, inficiatur enim Romani Pontificis ex Cathedra docentis ἀσφαλειαν vel ipsa Ecclesia Catholica per majorem Episcoporum numerum consentiente; inficiatur item Romanæ Ecclesiæ Apostolicam Traditionem; inficiatur tandem Concilii Œcumenici certissimum judicium, & correctricem potestatem.

VII.

Quando habeat omnis Episcopus pro licentia libertatis, & potestatis suæ arbitrium proprium, tamque judicari ab alio non possit, quam nec ipse potest alterum judicare.

REpugnat apertissime Cyprianus in Epist. ad Stephanum adversus Martianum Arela-

latenſem, in qua etiam, atque etiam Stephanum exorat;ut Arelatenſi ſede Martianum Novatianenſem dejiciat, eique alium ſubſtituat. Et in epiſt. de Baſilide, & Martiale Pamel. LXVIII. in qua Clerum, & Plebes in Hiſpania conſiſtentes præclare commendat, quod *Baſilidem, & Martialem libellis idolatriæ commaculatos, & nefandorum facinorum conſcientia vinctos Epiſcopatum gerere, & Sacerdotium Dei adminiſtrare vetuerint*, eiſque Felicem, & Sabinum ſubſtituerint. Præterea nulla foret apud homines ſocietas, aut difficilior, aut perturbatior, aut etiam iniquior, quam Eccleſiaſtica Hierarchia, in qua revera eſſent quot capita tot ſententiæ; quot Epiſcopi tot Dynaſtæ,ne quid gravius dicam, ſi neque ipſi alterum judicare poſſent, neque ab altero judicari, ne quidem poſt plenarii Concilii judicium; tametſi ea, quæ agebatur cauſſa, recte ad fidem pertinebat, non ad diſciplinam. Iccirco ad hanc ſententiam hæc ſubdit Auguſtinus lib. 3. Con. Don. c. 3. *Opinior utique in his quæſtionibus, quæ non dum eliquatiſſima perfectione diſcuſſæ ſunt.*

VIII.

VIII.

Sed expectemus universi judicium D. N: J. C. qui unus, & solus habet potestatem, & proponendi nos in Ecclesiæ suæ gubernatione, & de actu nostro judicandi.

POstrema hæc pseudo-Cyprianicæ sententiæ pars desumta videtur ex laudata Cypriani epistola ad Antonianum. *Manente* inquit, *concordiæ vinculo, & perseverante Catholicæ Ecclesiæ individuo Sacramento actum suum disponit, & dirigit unusquisque Episcopus, rationem propositi sui Domino redditurus*. Nec absimilis est Constantini Magni responsio ad libellos contra Catholicos Episcopos sibi ab Arianis oblatos, & a se rejectos, ex Ruffino lib. 1. hist cap. 1. sed utrobique de disciplina, non de fide lis agebatur; quocirca prudentis erat, probique viri a judicio temperare; nam in iis, quæ ad morum pertinent informationem, atque ad usum Ecclesiasticæ Disciplinæ non tam species effectus attenditur, quam caussa finis; hæc vero humanæ mentis aciem omnino præterit, solique Deo, qui cor intuetur, nuda est, atque aperta; cujus iccirco unius judicio Episcoporum actus potiori caussa reservantur, quod ii, qui in Clero primas obtinent, ita rem Ecclesiæ publicam administrent, ut Religionis obtentu multa moliri possint, quæ seu cenodoxiam, seu zelotipiam, seu philoneotin redoleant.

doleant. Tunc enimvero *actum suum disponit, & dirigit unusquisque Episcopus, rationem propositi sui Domino redditurus*. Ceterum si Episcopus a fide deficiat, Catholicæ Ecclesiæ, & Romani Pontificis judicio subesse, necnon canonicis pœnis tum depositionis, tum excommunicationis pluries, ac diserte perhibet Cyprianus, præsertim Epist. XXVII. ad Lapsos. Epist. LXIV. ad Epictetum. Epist. LXVII. ad Steph. Et Epist. LXVIII. ad Cler. in Hispan. Hæc igitur præfatio ad Concilium Carthaginiense eo longius abest a Cypriani doctrina, temperantia, ac sanctitate; quo propius accedit impudentiæ, pervicaciæ, atque hæresi donatianæ; & quidem Donatistarum erat Romani Pontificis, atque Ecclesiæ Catholicæ judicium subterfugere, quod reapse iterum ac tertium subterfugerunt; non mitissimi, non docilissimi Cypriani, non Episcopi Orthodoxi, & Ecclesiasticæ unitatis præter ceteros studiosissimi.

PROPOSITIO V.

Conclusio Epistolæ ad Jubajanum expenditur, & confictionis arguitur.

PRæfationi ad Concilium Carthaginiense maxime affinis est Conclusio Epistolæ ad Jubajanum, quam propterea illi subjicimus, eodemque Theoremate collocamus, commodumque est hic exscribere „ Nos quantum in nobis „ est propter hæreticos cum Collegis, & Coepi-

„ ſcopis noſtris non contendimus, cum quibus
„ divinam concordiam, & dominicam pacem
„ tenemus, maxime cum & Apoſtolus dicat:
„ Si quis autem putatur contentioſus eſſe, nos
„ talem conſuetudinem non habemus, neque
„ Eccleſia Dei. Servatur a nobis patienter, &
„ firmiter caritas animi, Collegii honor, vin-
„ culum fidei, & concordia Sacerdotii. Pro-
„ pter hoc etiam libellum de bono patientiæ,
„ quantum valuit noſtra mediocritas, permit-
„ tente Domino, & inſpirante conſcripſimus,
„ quem ad te pro mutua dilectione tranſmiſi-
„ mus. Hic enimvero impletur Davidicum illud pſalm. 54. *Molliti ſunt ſermones ejus ſuper oleum, & ipſi ſunt jacula.* Cunctanter itaque, & caute eundum eſt, incedimus namque per ignes ſuppoſitos cineri doloſo.

I.

Nos quantum in nobis eſt propter hæreticos cum Collegis, & Coepiſcopis noſtris non contendimus.

Nihil in ſpeciem lenius, nihil reapſe turpius dici potuit. Ex hac enim ficta lenitate permulta, & permagna conſequuntur abſurda. Neque enim Epiſcopis contendendum eſſet cum Collegis, qui hæreticos non oppugnarent, non compeſcerent, non vitarent; qui hæreticorum fraudes, & conventicula diſſimularent, qui eorum libros in vulgus edi ſinerent, modo ipſi in fide, atque uni-

t a-

tate Ecclesiæ Catholicæ permanerent; eadem quippe recurrit assumptio: *non esse Episcopis propter hæreticos cum Collegis, & Coepiscopis suis contendendum*. Ad hæc id etiam accedit: disceptatio de hæreticorum baptismo suppositi Cypriani judicio recte ad fidem spectabat, non ad disciplinam, quemadmodum superiori propositione abunde probavi. Quapropter Sacerdotalis erat fortitudinis cum iis Episcopis contendere, qui, ut hæc ipsa præfert epistola, *stuporem hæreticis patrocinio consensus sui augebant*. Utque epistola ad Pompejum obtendit. *Dat honorem Deo* [Stephanus R. P.] *qui hæresim contra Ecclesiam vindicat?* Epistolam vero ad Jubajanum conscriptam esse post Stephani decretum perspicue ostendi cum Pamelio in Dissert. ad Epist. S. Firmiliani. Verum enimvero iste pseudo-Cyprianus adeo abhorret a contentione, ut difficile dictu sit: an magis cum Collegis, & Coepiscopis suis, quam secum ipse contendat.

II.

Cum quibus divinam concordiam, & dominicam pacem tenemus.

R*Isum teneatis amici?* Isne divinam concordiam tenuisse credendus est, qui furiali ad Pompejum Epistola principem Ecclesiæ Catholicæ Episcopum est insectatus? Isne dominicam pacem servavit, qui non septies, nec se-

ptuagies septies a Stephano lacessitus, sed semel tantum nihil innovare jussus, non rependit benedictionem pro maledicto, sed e contrario Principem Populi sui maledixit? At enim epistola ad Pompejum conscripta fuit post Epistolam ad Jubajanum. Quid porro? Annon Cyprianus illius exemplum ad Pompejum transmisit? ad hunc siquidem scribens ita exorditur: *Quanquam plene ea, quæ de hæreticis baptizandis dicenda sunt, complexi sumus in epistolis, quarum ad te exempla transmisimus*. Epistola vero ad Jubajanum ex iis, quæ hæreticorum baptismum oppugnabant, fuit omnium absolutissima, quippe quæ in Carthaginiensi Concilio pro Cypriani suffragio recitata fuerit; igitur & cum ceteris, ac præ ceteris ad Pompejum transmissa. Quid tum Pompejus? Certe, dixerit, Cyprianus longe aliud re præstat, ac verbo pollicetur. Annon Pompejus cum Rege Psalte recinere potuit? Cyprianus dixit: Pax, pax, & non est pax.

III.

Cum & Apostolus dicat: Si quis autem putatur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.

EGregium monitum, planeque Apostolicum, sed importune usurpatum, atque infelicius usitatum. Nam quum proxime post hanc Epistolam ad Pompejum scribendum fuit, subito,

to, & graviter exarsit. Quid si contentiosus fuisset? quid si contendendi consuetudinem habuisset?

IV.

Servatur a nobis patienter, & firmiter caritas animi, Collegii honor, vinculum fidei, & concordia Sacerdotii.

MOntes aureos pollicetur, sed mature fidei tesseram frangit. Stephanus suppositus obedientiam exquirit, non patientiam. Cyprianus suppositus obedientiam denegat, & patientiam profitetur. Quid dixi patientiam? profitetur & longanimitatem. O lepidum juxta ac magnificum sponsorem! Is patienter, & firmiter caritatem animi, Collegii honorem, vinculum fidei & concordiam Sacerdotii servavit scilicet, qui ubi primum ad alterum Coepiscopum literas dare oportuit, eas literas dedit, quæ a probris non abstinerent; quæ fidei veritati jam tum Catholicæ Ecclesiæ judicio adversarentur; quæ Petri Successori nedum obsisterent, verumetiam irriderent, ac succenserent; quæ tandem, Augustino teste, periculum perniciosæ dissensionis haberent.

V.

Propter hoc etiam libellum de bono patientiæ, quantum valuit nostra mediocritas permittente Domino, & inspirante conscripsimus.

INfirmæ virtutis est, fractique animi extraneis hisce subsidiis indigere ad patientiam servandam. Ita plane Cicero profitetur, sese mentem ad Philosophiam adjunxisse ad animum ægrotum relevandum, *quod is esset Reip status, ut eam unius consilio, atque cura gubernari necesse esset.* Hæc enim est ea animi ægritudo, quæ Tullium hortata est, ut se ad hæc conferret. *Cujus*, inquit, *si majorem aliquam levationem reperire potuissem, non ad hanc potissimum confugissem.*

Expendamus itaque libellum de patientia vere a SS.mo Cypriano conscriptum. Equidem existimo Tractatum hunc a Cypriano confectum tempore persecutionis, Neque alio consilio confectum, quam ut suis spiritus adderet ad persecutionis vim tolerandam. Sic enim habet prope medium. *Quibus præter varias, & assiduas colluctationum pugnas, & in persecutionum quoque certamine patrimonia relinquenda sunt, subeundus carcer, portandæ catenæ, animæ impendendæ, gladius, bestiæ, ignes, cruces, omnia denique tormentorum, ac pœnarum genera fide, & virtute patientiæ perferenda.* Et caussa perorata ita oratio-

tionem concluditur. *Hujus patientiam Fratres dilectissimi in persecutionibus, & passionibus nostris cogitemus*. Quod si tempore persecutionis Decii, aut Valeriani hæc oratio habita est dubio procul nonnihil præcessit, aut successit disceptationi de baptismo hæreticorum. Satis etiam compertum est:persecutionem sub Cypriano bis fuisse grassatam, primo Decio imperante, secundo imperante Valeriano; nam quæ post Decium, seu submersum, seu interfectum, sub Gallo recruduit persecutio, Romanam tantum, non Africanam Ecclesiam divexavit. Ecquando satius, atque opportunius hæc adhortatio fieri potuit, aut debuit, quam tempore alterutrius persecutionis? præsertim quum alter extet S. Cypriani Tractatus de exhortatione Martyrii ad Fortunatum. Fuisse autem in more Cyprianico persecutione sæviente Clerum, plebemque suam ad Martyrium adhortari, tradit Pontius in ejus vita. Hinc quum duplex Cypriano Episcopo exorta sit persecutio, consequens est, Cyprianum semel atque iterum ut minimum de Martyrio subeundo ad suos verba fecisse, præter ea, quæ Martyribus, & Confessoribus recreandis, & confirmandis scripsit in secessu. Quod si non ex instituto, sed patientiæ bona, ac necessitatem amplificans, persecutionis meminit Cyprianus, id eo factum existimo, quo reliquis incommodis, quæ humanam vitam circumstant, commemoratis, martyrii terrorem imminueret; sive quod rumor tantum, idemque incertus in

Afri-

Africa esset de excitata per Valerianum persecutione, *de qua multa varia, & incerta opinionibus ventilabantur*, ut ex Epist. LXXXII. ad Successum. Ceterum si revera Cyprianus occasione nacta ex jurgio cum Stephano, & Monobaptismi assertoribus fervescente, libellum, hunc de patienriæ bono composuisset, ac postmodum eas, quæ circumferuntur, ad Pompejum literas dedisset, non suis admodum, sibi vero ne quidem modice consuluisset. Non hercle suis, quibus non verba salutis tantum, Scribarum more, ministranda fuerunt, sed & scandalum avertendum; nam Episcopus ex Dominicis, atque Apostolicis præceptionibus verbo, & exemplo forma gregis sit oportet. Quin nec sibi paullulum, rebusque suis prospexisset, non famæ non conscientiæ, non dignitati. Quis enim offensionem, atque indignationem de eo homine non conciperet, qui se non modo magnificis verbis divinam concordiam, & dominicam pacem cum Collegis tenere profiteretur; non modo patienter & firmiter sese caritatem animi, collegii honorem, vinculum fidei, & concordiam Sacerdotii servare prædicaret; verum etiam ad tam domesticam, tamque singularem patientiam magis, ac magis confirmandam, libellum de bono patientiæ conscriberet? sed qui quum splendide, & copiose de patientia differuerit, ubi primum promissa perficiendi, & patientiam exercendi non gravis caussa suborta est, immemor, ac pertæsus eorum omnium, quæ promi-

ſcripſerat, illico ſtomachatur, injuriam imaginariam perſequitur, æſtuat, excandeſcit, furiis agitatur. Annon hæc verius congruunt Thraſoni illi Terentiano, quam clementiſſimo, ac magnanimo Cypriano? Hic enimvero nativam, ac ſpirantem Chriſtianæ patientiæ faciem efformans, hos præter ceteros colores addidit, atque hæc lineamenta. *Ipſa eſt, quæ iram temperat, quæ linguam frenat, mentem gubernat, pacem cuſtodit... incendium ſimultatis extinguit... facit contra injurias, & contumelias mites; docet delinquentibus cito ignoſcere ... ne ad vindictam doloris noſtri querula feſtinatione properemus... Impatientia in Eccleſia hæreticos facit.* Jam vero Epiſtola ad Pompejum excutienda foret, & & cum hac conferenda, quæ mox excutietur; neque cum hac tantum, ſed & cum nonnullis Cypriani Epiſtolis, atque Opuſculis conferetur. Nunc illud ſilentio prætereundum non eſt, hanc ad Pompejum Epiſtolam adeo patientem viſam fuiſſe maximo juxta ac prudentiſſimo Auguſtino, atque adeo divinam concordiam, & dominicam pacem quaquaverſus ſpirantem, ut quum hæc illi pertractanda foret, ita dicendum fuerit. *Jam illa, quæ in Stephanum irritatus effudit, retractare nolo, quia & non opus eſt. Eadem quippe ipſa dicuntur, quæ jam ſatis diſcuſſa ſunt; & ea præterire melius eſt, quæ periculum perniciosæ diſſenſionis habuerunt.* Tædet me, atque adeo pudet, quum de Cypriano agitur ita me comparare, ut quam patientiam in ejus opuſculis ma-

xime admiror, in ejusdem operibus maxime desiderem.

Nunc ea subest difficultas, quæ cum gravissima enimvero est, tum graviorem, ac liberiorem responsionem desiderat. Qui demum [dicat quis] fieri potuit, ut Donatistæ præfationem ad Concilium Carthaginiense, & conclusionem Epistolæ ad Jubaianum confingerent? quæ recte, firmiter, penitusque illorum schisma referiebant, prosternebant, atque extinguebant; quas propterea ad Donatistas convincendos, eorumque schisma profligandum, tertio quoque verbo usurpavit Augustinus. Fateor, nodum hunc esse adeo implexum, ut non sine novo, atque inusitato molimine explicari queat. Age nunc: lora sint jugi fatalis, explicanda sunt tamen; si non alio pacto, vel more herculeo.

Enimvero ajo, utrumque monumentum a Donatistis fuisse confictum, tantoque astu, ut nec secus confingi potuerit; nec ullo suæ sectæ discrimine confictum sit. Duobus hisce membris omnis hæc absolvitur responsio.

Quam demum fidem nactus fuisset utriusque pseudo-Cyprianicæ declarationis confictor, si alteram fabulam secus inceptasset, alteram secus conclusisset? servanda fuit, quoad potuit, episcopalis temperantiæ, & Cyprianicæ lenitatis imago. Satis, superque patebat eximium, ac singulare Ecclesiasticæ unitatis studium, quod perpetuo quibusque rebus prætulit Cyprianus. Dissimulandus erat, quam poterat, accuratius, ani-

mus

mus donatianus; aſt ille erat ejuſmodi, ut quantumlibet clandeſtinus, ſeſe ultro proderet: eo conſilio, ut Afrorum hominum credulitate confirmata, ſi res ac tempus ita poſtulaſſet, qui iterum ac tertium Cyprianum mitiſſimum effecerant, aliquando furioſum efficerent; veluti in Epiſtola ad Pompejum effecerunt. Denique res eo jam evaſerat, ut Donatiſtæ longe plus emolumenti ſuæ adjicerent hæreſi ex Cypriano rebaptizante, quam incommodi ſuo ſchiſmati ex Cypriano pacifico. Verum ſi rem diligentiſſime introſpiciamus, non magno negocio & illud comperiemus: Donatiſtas ita rem ſuam geſſiſſe, ut nihil prorſus incommodi ex una & altera pſeudo-Cypriani declaratione in illorum ſchiſma derivare potuerit. De præfatione ad Concilium Carthaginienſe ſatis jam diſſerui, ſatiſque probavi, falſam eſſe; atque adeo a fidei Catholicæ regulis abhorrentem; de concluſione vero Epiſtolæ ad Jubajanum, libere pronuncio: eam non item Donatiſtas cogere in anguſtum, atque Cypriani adverſarios; nimirum non tam directo, non tam aperte, non tam jugiter. Quid enim ibi ſcripſiſſe ponitur Cyprianus? *Nos quantum in nobis eſt propter hæreticos cum Collegis, & Coepiſcopis noſtris non contendimus*. Quæ ſane verba ſi Cyprianum conferas cum Stephano, ceteriſque Collegis, qui cum Stephano conſentiebant, magnam ſpeciem præſeferunt circumſpectionis, pacis, atque concordiæ. Verum quid hæc ad Donatiſtas? Numquid Donatiſtis contentio erat

Bbb 2 cum

cum Catholicis de baptiſmo hæreticorum ? Minime omnium ; ſed cum Catholicis lis erat illis de baptiſmo Catholicorum ; quin ſi illorum judicium ſpectes [falſum certe , atque impium] contendabatur de baptiſmo hæreticorum cum hæreticis ; hæreticos namque , immo & Paganos Catholicos infamabant ; tantumque apud ſe Eccleſiam conſiſtere prædicabant ; graviterque Catholicis ſuccenſebant , quod ſuam partem Catholicorum nominatione portenderent . Hanc quidem valentiorem fraudem, minimeque ferendam arrogantiam Auguſtinus animadvertit ; qui ne amplius Donatiſtæ huc ſe reciperent, cuniculos Catholicis periculoſos , Donatiſtis tandiu tutos , ſedulo inveſtigavit , firmiterque interclusit. Quamobrem in id præcipuam intendit operam, ut probaret pluribus , ac pluribi , J. C. Eccleſiam non interiiſſe , ſed apud Catholicos continenter aſſervarii , æternumque ſervatum iri ; Quod ſi Majorum vitio interiiſſe credenda foret cum Donatiſtis , nedum penes Catholicos , ac Donatiſtas , quin & ante ipſum Cyprianum in omni Africa deperditam fuiſſe continuo credendum eſſet . Qua doctrina præmiſſa , ac demonſtrata , valide , atque opportune Donatiſtas urgebat , quos Cyprianico illo conſilio eo adducebat , ut alterutrum eligerent ; aut a ſchiſmate recederent , aut ſe quoque extra Eccleſiam poſitos faterentur . Hoc porro Donatiſtis graviſſimum erat , illud grave quidem , ſed longe tolerabilius . Ex quo duo perſpicere libet , que ultro.

tro se produnt. Alterum: Augustinum Ecclesiæ caussam optime, ac firmissime pertractasse. Alterum: Donatistas ante Augustinum Epistolam ad Jubajanum commentos esse; nempe eo tempore, quo Donatistæ nihil non sibi arrogabant; neque Catholicorum doctrinam magnopere reformidabant; necdum Pater misericordiarum Augustinum miserat, ac patefecerat. Ceterum, ad Augustinum quod attinet, nonnisi ex hypothesi hanc ad Jubajanum epistolam recepit; quod ejus conclusio ad Donatianum schisma dissipandum mirifice prodesset. Fieri ne ullo modo potest, ut etiam absolute receperit? ut talia ac tanta, quæ continet absurda, fraudolentiam dico, jactantiam, levitatem, contortiones, uno verbo mendaciorum acervum, non introspexerit? Ille vero & probe introspexit, & quantum potuit, prout caussæ ratio ferebat, etiam negavit; Quandoquidem omnis caussa in duas tantum partes diducebatur, schisma, atque hæresim. Epistola ad Jubajanum alterum expugnabat; alteram propugnabat; sed hanc frigide, illud vehementer. Proinde Augustino ex una eademque Epistola id fuit eligendum, quod præstabat; præstabat autem schisma, quam hæresim per eam Epistolam convelli. Ea siquidem argumenta, quæ profert hæc Epistola, non tanti erant ut facile dilui non possent, quæ & quam facillime diluit Augustinus; conclusio contra ejusdem Epistolæ ea erat, quæ si a versatili, acutoque ingenio tractaretur, non parum donatiano schismati incommodi, nec

parum Ecclesiasticæ unitati afferret emolumenti. Nunc etsi maxime donemus, extremam hujusce Epistolæ partem plurimum Augustino contulisse ad Donatianum schisma convincendum, non continuo consequens est, fuisse ab Augustino absolute receptam. Etenim si in absoluto systemate de eo dubites, quod tibi maxime prodest in hypothetico, jam tum absolute negas. Ita plane egit Augustinus de Epistola ad Jubajanum tum maxime, quum eam assumsit ad hæresim donatianam evertendam lib. 2. cont. Crescon. cap. 32. *Ex hac ipsa Epistola* [inquit] *ad Jubajanum, adtende quid ingeram, quod vestrum evertat, & absumat errorem. Cum enim persuadere conaretur, vel Sanctus Cyprianus, vel quicumque illam scripsit Epistolam, hæreticos &c.* Dubitavit igitur de hac Epistola, atque ita dubitavit, ut si verba spectes non potuerit clarius; si tempus, & caussam, non potuerit gravius.

THEO-

THEOREMA VI.

Epistolam ad Pompejum, ceterasque super baptismo hæreticorum, ex earumdem contextu, confictas probare.

PROPOSITIO I.

Communia hujusce Epistolæ absurda generatim attinguntur.

PLeraque omnia, quæ ex Epistola perperam Firmiliano adjudicata primo, ac secundo capite dissertationis prioris protulimus absurda, nullo negocio in hac ipsa ad Pompejum Epistola perspicere libet. Eadem quippe caussa est, idem scopus, ingenium idem, idemque furor. Siquidem Stephanus utrobique vellicatur, atque injuriosius habetur; cujus decretum iisdem fere sophismatis ejusdem Donatiani surfuris, iisdemque fere contumeliis oppugnatur, ac irridetur. Quapropter qua illam trutina pensavimus, non incommode solertes, justique Lectores ea ipsa hanc, de qua nunc agimus, per se ipsi librare poterunt. Id si fecerint, non diffido [nisi me valde amo] quin ex illius collatione cum hac ad Pompejum, hanc perinde atque illam suspectam sint habituri, tametsi plura & majora, quæ hanc circumstant prætergrediantur.

PRO-

PROPOSITIO II.

Epistolæ ad Pompejum absurda speciatim referantur, & ad certa capita rediguntur.

MEns erat eodem prorsus ordine hanc Epistolam expendere, quo alteram Firmiliani jam expendi, videlicet, singulis Epistolæ contextus sententiis appositis criticas notas subjicere, ne quid reliquum esset nostræ inquisitioni. Sed non una, nec levis me caussa prohibuit. Primum quod ob sententiarum conformitatem cum Epistola Firmilianica identidem mihi res acta agenda foret. Tum quod si multa, atque inter se dissimilia farciantur, Lectorum attentio distrahitur, & memoria distinetur. Deinde quod plures mihi caussæ subsint, cur ea via incedam, quæ compendiaria visa est, an autem vere, exitus declarabit. Jam altera excusa est dissertatio, instat Typograhus, sollicitant Amici, incitant Eruditi; tempus vero acrius urget, quod me deficit plura, ac majora conantem, quam ut sinant & mei traditas ingenii, & insolita hyemis asperitas, & quotidiana nobilium Adolescentum institutio, tam denique incommoda tempestate non integra valetudo, sive quod ei minus consulam, sive quod epidemico rheumati cedendum fuerit. Itaque maturandum fuit, & bacchanalibus hisce diebus Epistola ad Pompejum incidit expendenda; auspicato fortasse,

tasse quod ea demum sit, quæ Tullio in Bruto *furere, & bacchari* videri possit. Nunc ut eo revertatur propositio, unde digressa est, universam Epistolam duobus capitibus complector; nimirum Stephani decreto & pseudo-Cypriani secum, & cum vero Antilogia: pergamus jam ad primum.

PROPOSITIO III.

Stephani Decretum expenditur, confictumque demonstratur.

OMnia prorsus momenta, quibus hactenus probavi, nullam fuisse Cypriano cum Stephano, nullam Stephano cum Orientalibus, nullamque apud Afros sub Stephano super hæreticorum baptismo concertationem, item probant, nihil a Stephano sanciri potuisse; fictitium proinde adeo pervulgatum decretum illud habendum esse, quod singulari hujusce Epistolæ testimonio Stephani nomine circumfertur. Id porro tale est. *Si quis ergo a quacunque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam: cum ipsi hæretici proprie alterutrum ad se venientes non baptizent, sed communicent tantum*. Nunc enimvero idoneum est generatim primo, dein peculiariter commentitii decreti naturam investigare, & sensa recludere.

Ad naturam quod attinet, non levi est argumento, decretum istuc Romanæ Ecclesiæ inco-

gnitum fuisse. Tum quod ab *Anastasio* inter Stephani constitutiones non numeretur, [quæcunque tandem eæ sint, quæ numerantur.] Tum quod nec in suppositis Stephani actis apud Surium, & Baronium; ne quidem in veris apud Breviarium Romanum appositum fuerit. Quod tamen, utpote præ ceteris, quæ a sanctis Stephani Decessoribus, ac Successoribus edita sunt, multimodis illustrius, omnium maxime apponendum fuerat. Tum etiam quod in Chronico Damasi nihil tale commemoratur, sed unica tantum attingitur Stephani constitutio de vestibus Sacerdotum, ac Levitarum. Nam quod Auctor Synodici meminerit cujusdam Romanæ Synodi sub Stephano contra Rebaptizantes in Africa celebratæ, minimum valet; neque enim magna ei libello tribuitur fides ab eruditis; neque aliunde rescire potuit præterquam ex hac ipsa, de qua nunc agimus Epistola. De variis Decreti sensis duo sunt, quæ præsentem animum, & acre ingenium desiderant, primum, ac postremum.

Primum illud est, quod prioribus Decreti verbis continetur. ***Si quis ergo a quacunque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi &c.*** Nullo pacto fieri potuit, ut Stephanns R.P. ***a quacunque hæresi*** revertentem baptizari vetuerit. At reclamant Decreti Vindices: Earum dumtaxat hæresum baptisma Stephanus probavit, quod cum SS.^me^ Trinatis invocatione fuisset administratum. Ita ferme dicere præstat ei, qui decretum illuc Stephano adjudicat; quid enim aliud dicendum

super-

ſupereſt ? Sed non ei qui Cyprianum veraciſſimum habet, doctiſſimum, prudentiſſimum, ſanctiſſimumque; quin ei potius, qui Cyprianum ſtolidum habet, mendacem, atque malevolum: Nam quid ad hæc Cyprianus? *A quacunque hæreſi venientem baptizari in Eccleſia vetuit, ideſt omnium hæreticorum baptiſmata juſta eſſe, & legitima judicavit. Et cum ſingulæ hæreſes ſingula baptiſmata habeant, hic cum omnium baptiſmo communicans univerſorum delicta in ſinum ſuum coacervata congeſſit*. Videturne Stephanus Cypriani judicio, eum tantummodo probaſſe baptiſmum, qui in Chriſti nomine collatus fuiſſet? At enim hallucinatus eſt Cyprianus. Nugæ, ne dicam ſcelus. Nempe is hallucinatus eſt, qui crebris literarum officiis Stephani mentem introſpexerat: qui Stephani Epiſtolam ad ſe miſſam unus omnium mortalium accepit, atque perlegit: qui ſuam cauſſam ſtudioſe, ac viribus integris agebat, non opinionis pertinacia, non inani oſtentatione, ſed fidei ſtudio, ſed veri inquirendi amore. Præclariſſimum totius Africæ, quin & totius Eccleſiæ lumen hallucinatum eſt ſcilicet; non hallucinantur poſt tot ſæculorum tantam ſeriem homines creduli, qui tantum Cypriano concedunt, quantum Cyprianus clariſſimis quibuſque viris antecellit. Nempe ii non hallucinantur, quibus quum certiſſimum ſit de Chriſti baptiſmo a Stephano aſſerto, non continuo ceſſant magna ingeniorum contentione prolixe, ſatiſque moleſte illud inqui-

rere: an Stephanus reapse omnium hæreticorum baptisma nullo discrimine probaverit? Ii ut semel finiam, non hallucinantur, qui velint nolint, alterutrum fateantur oportet: Cyprianum aut calumniose Pompejo imposuisse; aut Stephano juste, & religiose obstitisse; porro utrumque est perabsurdum. Reliquum est ad absurda vitanda, ut Stephani decretum item atque Epistolam Cypriani, ab iisdemum conficta existimemus, quorum plurimum intererat, hanc Epistolam Cyprianicam haberi; quo impunius, atque audacius Apostolicæ Sedis judicium subterfugerent, & simulata Cypriani constantia veram donatistarum obstinationem protegerent. Et sane nullam veri speciem præfert, grassantibus adhuc toto Oriente teterrimis hæresibus Montani, ac Sabellii, quorum priori Tertullianus ex Afris jampridem adhæserat, quorum impium lavacrum ab invocatione SS.^{mæ} Trinitatis abhorrebat, Stephanum R.P. de hæreticorum baptismo quæstione suborta id consilii cœpisse, quod litem non dirimeret, sed redintegraret; atque id decretum condidisse, quod ad solum Novatianensium baptismum respicere poterat, in Africa præsertim: Monstri simile est: calumniam hanc de Stephani decreto tam longe lateque protrahi, ut ad Helenum, ac Firmilianum in Orientem, a Stephano primo, dein etiam a Cypriano, nullo hæreticorum discrimine habito, transmissum fuisse, sint qui affirment: Nimirum ad eos Episcopos, quibus si qua erat de baptismo controversia, non

alia

alia ſane eſſe potuit, atque adeo debuit, quam cum Montaniſtis, & Sabellianis; fortaſſe etiam cum Paulliániſtis [ſi modo Stephano ſedente hoc hæreſis Sabellianæ germen eruperat] quorum ſacrilegam tinctionem tam pronum erat reſpuere, quam ejus formulam intueri. Quod ſi ita Stephanus pro aſſerendo Orientalium baptiſmo Heleno ac Firmiliano iratior fuiſſet, ut perhibet Euſebius, annon comperti erroris, ſin minus imprudentiæ convictus fuiſſet per duo priora œcumenica Concilia Nicænum, & C. P^num? Nimium ſibi me hercle blandiuntur qui ſatis Stephano conſultum putant, ſi verba illa *a quacunque hæreſi* de eo tantum explicent baptiſmo, qui Evangelica forma ſit miniſtratus. Vehementer obſiſtit is, quem ſibi effingunt Cyprianum. Neque ullo pacto Romani Pontificis ἀσφαλειαν ſartam, tectamque cuſtodient, ſi hanc ad Pompejum Epiſtolam ſerio Cyprianicam duxerint. Icciroo Fellus, ceterique Etherodoxi, ad eam ipſam enervandam tantopere hoc decreto abutuntur; quod neutiquam facerent in re viri non ſimplices, neque imperiti, ſi res tam liquido conſtaret, ut noſtris videtur. At ſi mihi auſcultent, omnemque ad Pompejum Epiſtolam confictam affirment; Stephanus in portu navigat. Si ſecus faciant,longe difficilius erit Stephani decretum, quam Honorii reſponſum quacunque macula liberare.

Alterum hujuſce decreti ſenſus minus etiam implexum, ſed peræque abſurdum præferunt

ea verba. *Cum ipsi haeretici proprie alterutrum ad se venientes, non baptizent, sed communicent tantum*. Quid Catholicis cum haereticis rei est? Numquid nobis disciplinae usus ab haereticis mutuandus? Quid haereticis illustrius? Quid contra Ecclesiae Dei injuriosius? Audiant nunc Cyprianum suum. *Ad hoc enim malorum devoluta est Ecclesia Dei, & Sponsa Christi, ut haereticorum exempla sectetur, ut ad celebranda Sacramenta caelestia disciplinam lux de tenebris mutuetur, & id faciant Christiani quod Antichristi faciunt.* Num & hic denuo hallucinatur? Bone Deus! Quid hominis est Pompejanus iste Cyprianus? qui non quandoque, ut bonus Homerus, at semper dormitat, tum praesertim, quum maxime videtur experrectus. At enim, inquit Baronius, Cyprianus ab haereticis rebaptizantibus provocatus fuit ad aemulationem. Profecto Baronius istiusmodi conjecturam cum hac sui Cypriani oppugnatione non contulit, quam si contulisset, non dubito, quin Cardinalis doctissimus juxta ac sagacissimus secus conjecisset. Eo etiam magis ab hoc judicio abstinuisset, si ingenuam Cypriani confessionem in Epist. ad Cornel. Pamel. LV. in memoriam revocasset. *Neque enim* [ait] *ad Catholicae Ecclesiae majestatem pariter, ac dignitatem pertinere debet, quid apud se haereticorum & schismaticorum moliatur audacia*. Quin contra judicasset, si id animadvertisset, quod erat maxime obvium, nimirum Cyprianum non ab Novatianensibus ad aemulationem provocatum, sed Agrippini, compluriumque

que

que Antecessorum exemplis, atque statutis confirmatum, hæreticorum baptismum respuisse; ut in tribus Epistolis ad Januarium, ad Quinctum & ad Jubajanum profitetur, duarum vero priorum exemplum ad Stephanum misisse, diserte meminit in Epist. ad eumdem Steph. Pamelio LXXII. Quamobrem nihil erat, quod Stephanus de Cyprianico rebaptizandi consilio tam gravibus, tamque manifestis argumentis innixo, levissimam hanc suspicionem consectaretur, tamque absurdam, ac plane horrendam proponeret imitationem Episcopo, ac Doctori præclarissimo, & hæreticis inimicissimo. Verum enimvero nec Stephanus proposuit, nec unquam eam proponendi illi oblata est occasio.

PROPOSITIO IV.

Pseudo-Cypriani secum, & cum vero Cypriano Antilogia proponitur.

Nihil homini navo, & industrio ridiculum magis accidere potest: nihil viro forti, & innocenti gravius: nihil viro summo, & clarissimo indecorum magis: nihil Episcopo primæ Sedis indignius: nihil tandem Doctori eximio turpius potest accidere, quam mendacii redargui, & sententiarum repugnantiæ convinci. Hoc ipsum penitus Cypriano contingeret, si hæc illi adjudicetur Epistola, subjecta referat Antilogia; quæ non tam ad caussam de unico baptismo respi-

piciet; [id enim fuse, ac valide ex vero Cypriano præstitit Augustinus tum quinque posterioribus libris con. Donat. tum lib. 2. cont. Cresc. a cap. 31. ad 38.] sed ad præcipua fraternæ caritatis, catholicæ unitatis, atque episcopalis dignitatis officia; a quibus hunc Pseudo-Cyprianum discessisse non solum veri, sed & suppositi Cypriani sententiis, aperte, ac palam faciet.

I.

Epist. ad Pomp. *Desiderasti in notitiam tuam perferri quæ mihi ad literas nostras Stephanus Frater noster rescripserit, misi tibi rescripti ejus exemplum, quo lecto magis, ac magis ejus errorem denotabis.*

ERror, qui Stephano objicitur de probato hæreticorum baptismo ad disciplinam spectabat, an ad fidem? Si ad disciplinam cur vocat errorem? ergo ficto, vafroque animo scripsit ad Magnum Epist. LXXVII. *Nemini præscribentes, quo minus statuat quod putat unusquisque Præpositus, actus sui rationem Domino redditurus, secundum quod Beatus Apostolus Paullus in Epistola sua ad Romanos scribit, & dicit: Unusquisque nostrum pro se rationem dabit. Non ergo nos invicem judicemus* Idipsum profitetur in Epist. ad Jubajanum, & in exordio Concilii Carthaginiensis. Sin autem ad fidem spectabat,

ut

ut ſemel atque iterum probavi; utque ipſe innuere videtur in Epiſt. ad Quintum Pamel. LXXI. continuo & illud conſequitur, Stephanum R. P. Romanam, quin & Catholicam Eccleſiam, cujus Epiſcopi Auguſtino Auctore multo maxima ex parte Afris repugnabant, Cypriani judicio in fide errare potuiſſe. Hoc vero quantum abhorreat a Cyprianica doctrina, perſpicuum faciam peculiari, integraque Diatriba ſimul atque Diſſertationem hanc, quæ jam ad finem vergit, abſolvero. Poſt hæc ſi ea verba: *magis, ac magis ejus errorem denotabis* magis ac magis expendamus, magis item, ac magis horumce verborum non unum errorem vere denotabimus. Quoniam, ſi Stephani error *magis, ac magis* Pompejo denotandus erat, Cypriano monente, igitur jam antea uterque Stephani ſententiam erroneam judicaverat; ſimulato igitur, falſoque animo hæc ad Stephanum ſcripſerat. *Ceterum ſcimus, quoſdam quod ſemel imbiberint nolle deponere, nec propoſitum ſuum facile mutare, ſed ſalvo inter Collegas pacis, & concordiæ vinculo, quædam propria, quæ apud ſe ſemel ſint uſurpata, retinere. Qua in re nec nos vim cuiquam facimus, aut legem damus, cum habeat in Eccleſiæ adminiſtratione voluntatis ſuæ arbitrium liberum unuſquiſque Præpoſitus, rationem actus ſui Domino redditurus.* Quorſum ergo affectatæ illæ, crebræque declarationes? *Nemini præſcribentes, aut præjudicantes, quo minus unuſquiſque Epiſcoporum quod putat faciat, habens arbitrii ſui libe-*

ram potestatem ex Epist. ad Jubajan. *Neminem judicantes, aut a jure communionis aliquem, si diversum senserit, amoventes*: Ex præfat. ad Concil. Carthag. Jure igitur optimo, ac verissime Donatistæ reponebant Augustino loca isthæc adversus illorum schisma proferenti : *Mentiebatur* Cyprianus, *& simpliciores Collegas in verbo capere cogitabat, ut cum se diversum sentire prodidissent, tunc contra quam promiserat excommunicandos esse censeret*. Quis dubitat,quin ita egisset cum reliquis Coepiscopis, quum perspectum sit ita plane egisse cum Stephano? Cui primo quidem scripserat: *nec nos cuiquam vim facimus, aut legem damus*. Tum ejus mente comperta, tantum illi irascitur, quantum hæc verba disignant: *Magis ac magis ejus errorem denotabis, qui hæreticorum caussam contra Christianos, & contra Ecclesiam Dei asserere conatur*. Dolose igitur, atque adeo perfide opinandi libertatem, quin & agendi,Collegis obtrudebat, quos ubi a se diffidere intelligeret,pacis immemor, fidei nescius, vindictæ cupidus, qua re cumque potest, invidiam iisdem creat, veluti Stephano omnino creavit; cujus unius errorem denotari vult, tametsi Stephanus in eadem sententia esset, in qua Romana, & Occidentalis, in qua Catholica perstabat Ecclesia.

II.

II.

Nam inter cetera, vel ſuperba, vel ad rem non pertinentia, vel ſibi ipſi contraria, quæ imperite, atque improvide ſcripſit.

SI quis eſt, qui hæc dicteria Cyprianica exiſtimet, relegat quæſo Epiſtolam Cypriani ad Rogatianum de Diacono in Epiſcopum contumelioſo apud Pamel. LXV; quæ ſi non continuo a Diacono ad Epiſcopum contumelioſum traducenda eſſe videatur, relegat Epiſtolam ad Florentium Pupianum Pamel. LXIX, in qua Cyprianus Pupiano Epiſcopo diras interminatur, quod Cypriani obtrectatoribus aures, ac fidem accomodarit. Ex plurimis, quibus Florentium impetit, pauca delibemus. *Quis enim hic eſt ſuperbiæ tumor, quæ arrogantia animi, quæ mentis inflatio ad cognitionem ſuam Præpoſitos, & Sacerdotes vocare?* Annon ad cognitionem ſuam Præpoſitos, & Sacerdotes vocat, qui Petri Succeſſorem Romanæ Eccleſiæ antiquiſſimam conſuetudinem ſtrenue propugnantem ſuperbiæ damnat, vaniloquentiæ, repugnantiæ; inſcientiæ, atque imprudentiæ? Numquid humilis habeatur amplius Cyprianus, qui Principem Epiſcopum, maximumque Sacerdotem ſumma injuria ſuperbæ dictionis redarguerit? Ille enimvero humilis adeo fuit, ut nil quicquam veritus ſit ſeſe humilem prædicare. Quum enim ſibi ſuperbiæ notam Pu-

pianus exprobrasset, ita se purgat: *Humilitatem meam & Fratres omnes, & Gentiles quoque optime norunt, & diligunt*. Neve istuc inani verteretur ostentationi, non paucis interjectis hæc subdidit. *Nec hæc jacto, sed dolens profero, cum te Judicem Dei constituas, & Christi.* Repetenda memoria sunt quæ ex Epist. ad Pompejum exscripsimus. *Nam inter cetera vel superba &c.* Quis hic loquitur? Cyprianus. Itane vero Cyprianus? Ille nimirum Cyprianus, qui in Epist. ad Corn: LV. ita præcepit. *Nam cum scriptum sit: neque maledici regnum Dei consequentur, & iterum Dominus in Evangelio suo dicat: Qui dixerit Fratri suo fatue: & qui dixerit racha, reus erit in gehenna ignis; quomodo possunt censuram Domini Salvatoris evadere, qui talia ingerunt non solum Fratribus, sed & Sacerdotibus? quibus honor tantus de Dei dignatione conceditur, ut quisquis Sacerdoti ejus, & ad tempus hic judicanti non obtemperaret, statim necaretur*. Dein plura, & præcipua ex sacris literis monita, & exempla consectatur, quibus non modo veros, & sanctos; verum etiam indignos, atque umbratiles Sacerdotes colere, & venerari jubemur, eademque persequitur utraque epistola paullo ante laudata. Prius me ex hac vita dejicient, quam ut in eam sententiam me adducant, ut credam, Cyprianum aliud præcepisse, atque aliud egisse; ac propterea iis Scribis, & Pharisæis annumerandum esse, de quibus monuit Christus Dominus. Matth. 23. *Omnia ergo quæcunque dixerint vobis servate, &*

fa-

facite : ſecundum opera vero eorum nolite facere : dicunt enim , & non faciunt . Equidem agnoſco Cyprianum officioſum : ignoro Cyprianum contumelioſum . Ille mihi verus eſto Cyprianus , qui ſit corde ſimplex , eloquio temperans , in Chriſtum Domini venerabundus , qui nullum faceſſat *periculum pernicioſæ diſſenſionis*: Uno verbo qui nihil præcipiat , quod non idem faciat . Ille mihi ſuppoſitus eſto ac σιμφάιτυ , qui Principem populi ſui maledicit , qui alligat onera gravia , & importablia , & imponit in humeros hominum , digito autem ſuo non vult ea movere . Huc ea refer , quæ identidem in Epiſtolæ contextu de Stephano effutiuntur , cujuſmodi ea ſunt . *Illud quoque quam ineptum eſt ..... Cur in tantum Stephani Fratris noſtri obſtinatio dura prorupit? ..... Dat honorem Deo qui unitatem , & veritatem de divina lege venientem non tenens , hæreſes contra Eccleſiam vindicat ? Dat honorem Deo qui hæreticorum amicus , & inimicus Chriſtianorum , Sacerdotes Dei veritatem Chriſti , & Eccleſiæ unitatem tuentes abſtinendos putat ?* eadem quippe trutina ac duo priora ſunt caſtiganda .

III.

Sacerdotes Dei veritatem Chriſti , & Eccleſiæ unitatem tuentes abſtinendos putat .

VUlnus immedicabile , *Quod Chironia nec manus levaret* , ut ait Vergilius . Si vere Stephanus Epiſcopos Rebaptizantes abſtinendos

 pu-

putasset, & catholica communione privandos, firmissime teneo, mitissimum, atque optimum Cyprianum ob maximum, quo ille flagrabat catholicæ unitatis amore, non in pertinaci opinione permansurum fuisse, quin potius eam correcturum: Stephanum non exasperaturum, sed leniturum: sin minus turbas jam jam effervescentes extincturum magis, quam concitaturum: certum denique Cypriano futurum quidpiam aliud facere, ut hoc ne faceret; omnia denique ab Stephano perpeti, & perferre, ne denunciati, ac imminentis schismatis culpa in se, suosque transferretur. Alioquin id propemodum existimandum esset: Cyprianum pertinacius præjudicatæ huic opinioni adhæsisse, quam concordiæ sacerdotalis, & catholicæ unitatis custodiæ, pro quibus ille servandis perpetuo, ac maximopere adlaboravit. Præjudicatam dixi Cypriani opinionem, cujus non unum, nec exiguum præjudicium jam tum per se ipse quam facillime dignoscere debuerat; quod res non amplius integra esset. Romanus Pontifex obsistebat: Romanæ Ecclesiæ consuetudo, quam ab Apostolis profectam aut credendum erat, aut suspicandum quidem certe, adversabatur: Episcopi omnes Transmarini repugnabant: Ex Afris, ut dictum est, non omnes consentiebant: Ex tot Orientalibus pauci admodum annuebant, si modo quisquam annuebat: Rebaptizandi ritus in more fuit hæreticorum, qui omnium primi otiosam hanc, secundamque tinctionem excogitarunt; vel ante

Agrip-

Agrippinum, quemadmodum Montanistæ in Oriente, vel post Agrippinum veluti Novatianenses in Africa: ipsum tam frequens Agrippini Concilium, satis Augustino suspectum, interruptam Africæ consuetudinem, nec levem Afrorum repugnantiam non obscure indigitabat: idipsum designabant tot tantaque Cypriani Concilia: momenta denique, quæ ad Rebaptisimum probandum ex sacris litteris afferebantur, non ea erant quibus Viro docto, & prudenti magnopere fidendum esset; quippæ quæ non modo Ministri fidem, sed & sanctitatem desiderare viderentur; quibus propterea diutius, ac perniciosius, quam suppositi Rebaptizantes, abusi sunt Donatistæ, non tantum ad fidem, verumetiam ad Ministri sanctitatem asserendam. Nunc talia, ac tanta præjudicia, quæ Cypriani opinionem circumvallabant, quæve Cypriani cogitationi, atque animo jugiter obversabantur, si quis conferat cum anathematis interminatione, cum schismatis periculo, cum summa Cypriani docilitate, cum maximo unitatis, & concordiæ studio; & instet adhuc, tot tantisque caussis Cypriano propositis, atque expensis, potuisse nihilo secius hanc ad Pompejum, & illam ad Firmilianum Epistolam conscribere; aut ego desipio, qui hoc non credam, non feram, non patiar; aut ille nugatur, qui in puro putoque versatur paralogismo. Fac porro ita rem evenisse, ut hæc præfert Epistola, annon verendum fuit Doctori Catholico egregiæ fidei, magnique consilii, ne suæ contumaciæ hoc schisma

ma verteretur; quandoquidem idem ipſe docuerat: *Non aliunde hæreſes obortas, aut nata ſchiſmata, quam inde quod Sacerdoti Dei non obtemperatur: Nec unus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Judex vice Chriſti cogitatur* [de Cornelio R. P. verba facit:] *Cui ſi ſecundum magiſteria divina obtemperaret fraternitas univerſa* [Epiſcopos intelligit, Clericoſque,] *nemo adverſum Sacerdotum Collegia quicquam moveret*. Epiſt. ad Cornel. Pamelio. LV.

IV.

Fit autem ſtudio præſumptionis, & contumaciæ; ut quis magis ſua prava, & falſa defendat, quam ad alterius recta, & vera conſentiat.

IMpudentiſſima exprobratio. Ecquem tandem impetit? Stephanum ſcilicet, Virum integerrimum, Epiſcopum omnium Principem, Petri Vicarium vel ipſius Cypriani teſtimonio. Quanto juſtius, & congruentius hæc ſententia in Auctorem ſuum inverti poteſt? Veriſſime enim fit ſtudio præſumtionis, & contumaciæ, ut quis magis ſua prava, & falſa defendat, quam ad ſummi Epiſcopi recta, & vera conſentiat. Nam quæ ſententia prava, & falſa fuerit, quæ vera, & recta? Eccleſia declaravit. Atque adeo jam tum declaraverat ampliori Eccleſiæ conſenſione, & conſuetudine; Quum ab Apoſtoli Petri mar-

ty-

tyrio ad Cyprianum duo tantum necdum integra ſæcula fluxiſſent; quum conſuetudinem non rebaptizandi robuſtiſſimam dixerit Auguſtinus; quum hæc ipſa conſuetudo in cauſa fuerit uni & alteri œcumenico, & plenario Concilio, cur rebaptiſmum confingerent; quum Romana Eccleſia ad Apoſtolicarum Traditionum cuſtodiam jugiter, atque accuratiſſime advigilarit, maximo, & certiſſimo erat argumento: conſuetudinem non rebaptizandi eam fuiſſe, cujus initii memoria non extabat, quæ propterea ab Apoſtolis exordium cepiſſe affirmabatur jure, meritoque.

Qui vero probet maledicus hic Auctor, fieri ſtudio præſumtionis, & contumaciæ, ut Stephanus Afris rebaptizantibus non conſenſerit? Numquid Stephanus nimium ſibi arrogabat, qui Romanæ Eccleſiæ conſuetudinem Africanæ, [ſi qua erat in Africa rebaptizandi conſuetudo,] firmiter anteferret? Numquid contumax Stephanus in Cyprianum? cui nihil quicquam ſubjiciebatur, cui ſi Auguſtino probante *præcepit*, conſequens eſt præcipere potuiſſe, & ſi cauſſam ſpectes, etiam debuiſſe. Numquid contumax Romanus Pontifex in Epiſcopum Carthaginienſem, quod huic non obſecundarit? quod in hujus ſententiam non jerit? quod huic tandem non paruerit? Equidem ſtomachor, atque indignor, quum iſthæc, utinam conferre, ſed invertere cogor, & permiſcere. Sed magis etiam, magiſque ſtomachor quum tam inſulſa, tam temeraria, tam ſuperba, tamque intolerabilia, mitiſſimo ac

modestissimo Cypriano tribuuntur : Pergamus porro. Arguitur Stephanus qui magis sua prava, & falsa defendat, quam ad alterius recta,& vera *consentiat*. Quomodonam inquit *sua*? Stephanus non sua defendebat, sed quæ erant Ecclesiæ Romanæ, quæ totius Ecclesiæ Occidentalis, quæ plerumque, ut verius puto,omnium Orientalium Antistitum. Illud vero quam fidenter, quam præfracte *prava & falsa defendat*. Quo demum Auctore hæc autumat? An ex sententia Ecclesiæ Catholicæ, quæ ex parte longe majori contradicebat? quæ proinde tota quanta erat contradicebat. An ex Sacrarum Scripturarum testimoniis? quorum interpretationibus veluti frigidis, & contortis Optatus, & Augustinus irrident: quorum sententiam nedum rectam veramque esse, verumetiam probabilem esse, negarunt; quin & malam, & falsam esse recte, & vere demonstrarunt.

Dicat quis ex Terentio in prol. Eunuchi. *Responsum, non dictum esse, quia læsit prior*. Stephanus Cypriano vim faciebat, Stephanus illi legem dabat. Quis hæc ferat nisi stupidus, & bardus? O lepidas vendicias! Non id quærendum erat: an Stephanus Cypriano vim fecerit, aut legem dederit? sed an vim facere, & legem dare potuerit? Quod si potuit; cur Cyprianus non paruit? ni potuit; cur non risit? quid illi opus fuit ad contumelias, & maledicta descendere? At enim Stephanus Cypriani animum non leviter offenderat, quem cum ceteris Episcopis, quibuscum id ipsum sentiebat, abstinendum

dum

dum putaverat. Quæro: jure, an injuria abſtinendos putavit? ſi jure, cur ſuæ cauſſæ fidebat? ſi injuria cur deſperabat? *Nemini tamen præſcribendum erat* [ut ſuis illum verbis remordeam ex Epiſt. ad Jubajan.] *quo minus unuſquiſque Epiſcoporum quod vult faciat*; faceret & ipſe quod vellet, *habens arbitrii ſui liberam poteſtatem*, quam ſi habuit, nil verendum fuit, non indignandum, non furendum, non turbæ excitandæ. *Sed quantum in illo erat propter hæreticos cum Collegis, & Coepiſcopis ſuis non contenderet*, multo minus cum Epiſcopo Primario, & Petri Succeſſore, *cum quibus divinam concordiam, & dominicam pacem tenere* profitebatur, neſcio an ſimpliciter; *maxime cum & Apoſtolus dicat: Si quis autem putatur contentioſus eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus, neque Eccleſia Dei*. Felix fauſtumque fuit Cypriano ἰάμβιλον iſtum contendendi conſuetudinem non habuiſſe. Proh ſuperum, atque Hominum fidem! quid ſi habuiſſet? ſed pergit λογίμητορα noſter. *Servatur a nobis patienter, & leniter caritas animi, Collegii honor, vinculum fidei, & concordia Sacerdotii*. Quid dignum tanto feret hic promiſſor hiatu? idipſum ſcilicet quod Horatius ſubdidit in Art. poet. Parturient montes, naſcetur ridiculus mus. Diſce hunc vel ab ipſo exordio Epiſtolæ ad Pompejum, in quo veluti compertum affert: Stephanum *ſuperba, vel ad rem non pertinentia, vel ſibi ipſi contraria imperite, atque improvide ſcripſiſſe*. O patientiam! o lenitatem! o inſignem animi caritatem! O Collegii

honor ubinam es? prope adest, intuere: *Cur in tantum Stephani Fratris nostri obstinatio dura prorupit?.... Fit autem studio præsumptionis, & contumaciæ, ut quis magis sua prava, & falsa defendat, quam &c.* Si sic honor Collegio defertur, o miserum Collegium! apage a te honorem hunc, quo tam inhumane caput tuum proscinditur. Egone tam demens, qui tam magnifice promissum *vinculum fidei* exigam ab eo, qui unanimem Catholicæ consensionem floccifecit? qui concordiam Sacerdotii ab eo repetam, qui sibi interminatum anathema, qui schisma, quod jam jam imminebat, susque deque habuit. Quid est cur reliqua persequamur? *Propter hoc etiam libellum nunc de bono patientiæ quantum valuit nostra mediocritas, permittente Domino, & inspirante conscripsimus.* Mentiris homo ita impatiens, ut maledicus, non tu eum conscripsisti, qui non dicam patientiam colere, sed ne quidem docere posses; sed ille enimvero conscripsit, qui nihil docuit, quod non idem faceret. Ille, ille conscripsit, qui non ad suum dedecus revelandum, sed ad Gregem sibi carissimum relevandum, & confirmandum in fide, & caritate, in eo tractatu hæc ait. *Impatientia in Ecclesia hæreticos facit.... patientia ipsa est, quæ iram temperat, quæ linguam frænat.. pacem custodit ... incendium simultatis extinguit.. contra injurias, & contumelias mites facit:. Docet delinquentibus cito ignoscere... ne pondere injuriarum ingentium ... ad vindictam doloris nostri querula festinatione properemus.* Ille in quam conscri-

ſcripſit, qui honorem Sacerdotibus habendum, qui pœnas in hos contumacibus irrogandas, opuſculis, literiſque ſuis iterum ac ſæpius vehementiſſime perſuaſit, nativiſque coloribus delineavit.

PROPOSITIO V.

Reliquæ de Hereticis baptizandis Epiſtolæ ſtrictim, curſimque expenduntur.

Reliquum eſt, ut ad inſignem hanc rebaptizantis maculam, quæ penitus jam inſedit, atque inveteravit in nomine Cypriani, omnino delendam, eas, quæ præter hanc ad Pompejum, & alteram ad Jubajanum, hæreticorum baptiſmo refragantur, Cypriani Epiſtolas diligenter non minus, ac ſingulatim expendamus. Verum quum iſtæ eodem ferme atque illæ veneno infectæ ſint; quum maxime inter ſeſe diſſidere ob antilogiam demonſtraverim, ſi dicam, jam me illas expendiſſe, non mentiar. Sed præſtat paucis rem perſequi, cui perficiendæ non magno molimine opus eſt. Primum, ſi reliquas Epiſtolas generatim attingamus, Agrippini exemplum, & Concilium de rejecto hæreticorum baptiſmo, non ſolum in Epiſtola ad Jubajanum, verumetiam in duabus, altera ad Epiſcopos Numidas, altera ad Quinctum deprehenditur. Id vero ad complexionem adducit Auguſtinus lib. 3. cont. Donat. cap. 12. *Ceterum inquit, ſi permanebat ab Agrippino uſque ad Cyprianum conſue-*

tudo baptizandi ab hæreticis venientes, ut quid facta sunt a Cypriano de hac re Concilia? ut quid eidem Jubajano dicit, non se rem novam facere, aut repentinam, sed ab Agrippino constitutam? Cur enim Jubajanus de novitate turbaretur, ut eum per auctoritatem Agrippini sanari oporteret, si ab Agrippino usque ad Cyprianum hoc tenebat Ecclesia? Cur denique tot ejus Collegæ in Concilio dixerunt, rationem, & veritatem consuetudini præponendam, ac non potius dixerunt, eos, qui aliud facere vellent, & contra veritatem, & contra consuetudinem facere? Neminem unum esse arbitror, qui id sibi persuadeat, non alium quam Cyprianum hac argumentatione mendacii, repugnantiæ, atque imprudentiæ ab Augustino convinci. Convincuntur quidem tres simul Epistolæ falsitatis, & contrarietatis; at non convincitur Cyprianus; sed ii tantum *præsumptores, atque mendaces* convincuntur, a quibus *sub Cypriani nomine* sententiam hanc *fuisse confictam* complurium Afrorum testimonio perhibet Augustinus Epist. XCII. ad Vinc. Rogat. al. VI.

Deinde ne peculiarem earumdem literarum tractationem penitus omisisse videamur, percurramus saltem, siquidem illas sedulo excutere non vacat, sed neque oportet. Itaque in Epistola ad Numidas, ut ab illa exordiamur, quæ ordine prior est, hæresis donatiana perinde, ac suppositus veterum Afrorum rebaptismus, apertissime vendicatur; neque enim ad ratum firmumque baptismum habendum sola Ministri fides astruitur,

sed

ſed & ſanctitas. Sic vero legitur: *Scire autem & meminiſſe debemus, ſcriptum eſſe: Oleum peccatoris non ungat caput meum, quod ante in pſalmis præmonuit Spiritus Sanctus, ne quis exorbitans, & a via veritatis exerrans, apud hæreticos, & Chriſti adverſarios ungeretur. Sed & baptizato quam precem facere poteſt Sacerdos ſacrilegus, & peccator? cum ſcriptum ſit: Deus peccatorem non audit: ſed qui eum coluerit, & voluntatem ejus fecerit, illum audit.* Donatiſtæ impudentiſſimi Sacrarum Scripturarum contortores ad baptizantis ſanctitatem aſſerendam duplicem hunc locum, alterum ex pſal. 140, alterum ex Johan: 9. tam frigide, quam mordicus uſurpabant. Utramque illorum interpretationem perbelle irridet Auguſtinus; *oleum* namque *peccatoris* a quo Pſaltes monet abſtinendum, non oleum eſſe peccatoris baptizantis, aut ſub vitæ extremum ungentis, ſed peccatoris adulantis, verba, quæ his proxime præcedunt, dubio procul oſtendunt: *Corripiet me juſtus in miſericordia, & increpabit me*. Deinde quod ſubditur *Deus peccatorem non audit*, verba ſunt, non Chriſti Domini, ſed Cæci nati, *qui oculos corporis jam quidem reſtitutos habebat, ſed ei oculi cordis nondum patebant*, inquit Auguſtinus cont Epiſt. Parmen. lib.2.cap. 8 quod confirmat exemplo Balaam Num. 24. Quin & Dæmones ipſos, tametſi non ad ſalutem, ſed tamen a J. C. ſervatore exauditos, & ex ſententia in gregem porcorum miſſos fuiſſe, habet Luc. 8. Qui enim ad Deum convertantur, niſi a Deo

exau-

exaudiantur. *Non utique* [subdidit ibidem Augustinus] *desineret esse peccator, nisi prius exaudiretur peccator*. Cyprianum vero, & non quem Sycophantam hic ab Augustino irrideri nec credo, nec suspicor. Prohibet me vel levissime hoc suspicari fides, ac doctrina Cypriani. Adducit me contra, ut referam Donatistis quod omnino Donatianum est, id, quod parti Donati solemne fuit, ac plane singulare, nimirum Ministri sanctitas ad Baptismi ratihabitionem; quæ subdole quidem, sed aperte satis in hac ad Numidas Epistola affirmatur.

Nunc ad Epistolam ad Quinctum accedo, in qua non pauca, nec exigua mihi obversantur absurda. Unum præ ceteris proponere præstat, quo consuetudinem a Catholicis objectam infringi putavit, quibus iccirco ita reposuit. *Non est autem de consuetudine præscribendum, sed ratione vincendum. Nam nec Petrus, quem primum Dominus elegit, & super quem ædificavit Ecclesiam suam, cum secum Paullus de circumcisione postmodum disceptaret, vendicavit sibi aliquid insolenter, aut arroganter assumsit, ut diceret se primatum tenere, & obtemperari a novellis, & posteris sibi potius oportere. Nec despexit Paullum quod Ecclesiæ prius persecutor fuisset, sed consilium veritatis admisit, & rationi legitimæ, quam Paullus vendicavit, facile consensit; documentum scilicet nobis & concordiæ, & patientiæ tribuens, ut non pertinaciter nostra amemus, sed quæ aliquando a fratribus, & Collegis nostris utiliter, & salubri-*

ter

ter ſuggeruntur, ſi ſint vera, & legitma ipſa potius noſtra ducamus. Quod genus tandem eſt iſtud argumentationis? Petrus in cauſſa circumciſionis primatum ſuum non oppoſuit; igitur nec unius baptiſmi aſſertores conſuetudinem opponant. Quid conſuetudini rei eſt cum primatu? Reponat quis: enimvero multum. Ægre tulit Cyprianus, Stephanum ratione contempta ad ſolam confugere conſuetudinem; hoc vero eo facere Stephanum exiſtimabat, quod primatus auctoritate munitus, rationum momenta adducere dedignaretur. Qui ſic putat ſomniat, non conjicit; nam qui tandem Cyprianus ægre ferret Stephani ſententiam, quam ignorabat? ignoraſſe autem inde liquet, quod ſperaret Cyprianus, Stephanum ſibi conſenſurum, quemadmodum ex Epiſt. ad Stephanum ipſum. *Hæc ad conſcientiam tuam Frater cariſſime, & pro bonore communi; & pro ſimplici dilectione pertulimus, credentes etiam tibi pro religionis tuæ, & fidei veritate placere quæ & religioſa pariter, & vera ſunt.* Epiſtola vero ad Quinctum ſcripta eſt ante Epiſtolam ad Stephanum, in qua ſic lego: *diligenter expreſſum eſt in Epiſtola, quæ ad Quintum Collegam noſtrum in Mauritania conſtitutum, ſuper ea re ſcripta eſt*. Fruſtra etiam quis ea verba referat ad unum aliquem afrorum Antiſtitum; titulorum quippe ſplendorem Africani Epiſcopi ſedulo refugiebant, quod jam a nobis obſervatum eſt; ſolaque *Senioris* appellatione pro ætatis ratione contenti erant. Unus erat Carthaginienſis

nem conficiendam assumi . Nam quo pacto Petrus sibi a Paullo novello, & postero in caussa, quæ apertam simulationem referebat, obtemperari contenderet, quando hæc quidem simulatio non erat in more, institutoque Apostolico, quæ si fuisset, nihil quicquam eam Paullus fuisset admiratus, multo etiam minus abominatus. Quo tandem pacto objiceretur a Petro consuetudo de ea re, quæ antea nunquam obtigerat? Finge vero, [ut semper conniveam],non semel antea hoc ipsum contigisse, num propterea *novellus* & *posterus* Paullus haberi potuit, qui unum tantum post annum a Christi ascensione in Apostolorum album relatus fuit? numquid repetita per eum annum ejusdem fictionis observantia vim consuetudinis obtinere potuit? ad quam proinde Cyprianus mentem adjungens, non joco, sed serio hanc duceret argumentationem: Petrus etiamsi Primatu insignitus, Paullo tamen novello, & postero fingendi consuetudinem, quæ integrum fere annum obtinuerat, non opposuit; igitur nec Stephanus eumdem primatum consecutus non rebaptizandi consuetudinem mihi novello, & postero jure objiciat. Qui sic argumentatur ineptit, qui Cyprianum sic argumentatum existimat, nec sibi consulit, nec Cypriano.

Postremo quæ duæ supersunt de hæreticis baptizandis Epistolæ, altera ad Stephanum, ad Magnum altera, puram putamque referunt hæresim donatianam, quippe quæ non solum baptizantis fidem postulant, verumetiam Sacerdo-

tum offerentium ſanctitatem ; etenim in Epiſtola ad Stephanum Pamel. LXXII. hæc habentur: *Oportet enim Sacerdotes, & Miniſtros, qui altari & ſacrificiis deſerviunt, integros, atque immaculatos eſſe, cum Dominus Deus in levitico loquatur & dicat : homo, in quo fuerit macula, & vitium, non accedet offerre dona Deo. Item in Exodo hæc eadem præcipiat, & dicat : Et Sacerdotes, qui accedunt ad Dominum Deum ſanctificentur, ne forte derelinquat illos Dominus. Et iterum: & cum accedunt miniſtrare ad altare Sancti, non adducent in ſe delictum, ne moriantur.* Iccirco Donatiſtæ eatenus ſeſe efferebant, ut non animo tantum, quin etiam corpore ſe immaculatos prædicarent ex illo Levit. 21. *Homo in quo fuerit macula, & vitium, non accedet offerre dona Deo.*

Epiſtola ad Magnum ita agit de Novatianenſium baptiſmo, perinde ac ſi Magnus Novatianenſes pro hæreticis non haberet, ſed tantummodo pro ſchiſmaticis. Quæ Magni dubitatio cum nova, tum etiam importuna eſt: nova, quod Cypriani ſententiæ dudum ſub Cornelio patefactæ de hæreſi Novatiani plane contradicat: importuna, quod principalis tot diſceptationum, totque Conciliorum cauſſa, fortaſſe etiam unica, hæreſis fuerit, & ſchiſma Novatiani, quandoquidem non alia tum Africam hæreſis divexabat, quæ Magno in cauſſa foret, cur Novatianenſium baptiſmum ſuſcipiendum putaret. Quæ deinde afferuntur ex libro Num. cap. 16. teſtimonia, ita pertractantur, ut ſacrilegis Dona-

natiſtarum direptionibus ab Optato recenſitis viam ſternant. Hactenus quæ noſtram de Cypriano ſententiam propugnant; nunc quæ oppugnant.

THEOREMA VII.

Momentorum, quæ adverſantur, exploſione ſententiam nunc demonſtratam confirmare, & concludere.

PROPOSITIO UNICA.

Pro Epiſtola ad Pompejum Cypriano adjudicanda adducuntur argumenta, eademque ſingulatim refelluntur.

I. IN libello, qui ad *Novatianum hæreticum* inſcribitur hæc Cypriani de hæreticis baptizandis ſententia liquido dignoſcitur; ſic enim dicitur: *Sacramentum baptiſmatis, quod in ſalutem generis humani proviſum, & ſoli Eccleſiæ cæleſti ratione celebrare, per os ſuum præoſtendit.* Quamquam plerique omnes eruditi libellum hunc incerto adſcribunt Auctori, quæ tamen afferunt ad id probandum momenta, non magni fecit Tillemontius, in Not. 37. ad S. Cyprianum. Ut donemus ita eſſe, non continuo & illud jure inficientur, cujuſpiam alterius Auctoris eſſe Novatiano coævi. Quod ſi permittant, unum hoc vetuſtiſſimam, receptiſſimamque ſententiam de diſſidio inter Catholicos ſuper baptiſmo hæretico-

 rum,

rum, & quidem temporibus Cyprianicis, satis superque confirmat.

Respondeo, tametsi eam Epistolam ad Novatianum Cyprianicam esse affirmarem, dubitari adhuc posse, an ea verba *soli Ecclesiæ* sint Cyprianica? Nec injuria in dubium revocarentur, quandoquidem assuta omnino videntur; quod neutiquam ibidem esset de hoc argumento agendi locus. At si omnino agendum erat, quum adversus Hæresiarcam ageretur, semper ex communiori sententia Ecclesiæ Catholicæ agendum fuerat. Ego vero ex hoc ipso, qui adductus est locus, verosimilius conjicio, libellum hunc Cyprianicum non esse, quippe qui conscriptus videatur simul atque Novatianus schisma excitavit; Quoniam ita exorditur. *Cogitanti mihi, & intolerabiliter animo æstuanti quidnam agere deberem de miserandis fratribus, qui vulnerati non propria voluntate, sed diaboli sævientis irruptione, adhucusque, hoc est, per longam temporum seriem agentes, pœnas darent; ecce ex adverso obortus est alius hostis, & ipsius paternæ pietatis adversarius hæreticus Novatianus.* Quum vero Novatiani schisma idem ac Stephani Pontificatus initium habuerit: continuo & illud consequereturCyprianum jam tum Cornelio recens ordinato, sententiam suam de hæreticis baptizandis impune, atque adeo laudabiliter exseruisse. Porro istuc [si unum demas Ruffinum] eruditorum mentes summa consensione aspernantur. Sed illud multo absurdius consequeretur: Cornelium, quem Nova-

tia-

tianus irrite ordinatus ab Romana Sede dejicere totis viribus adnitebatur; cujus contra in Petri Cathedra succeſſio ut ab univerſa fraternitate firma, & rata haberetur, Cyprianus enixe poſtulabat; conſequeretur, inquam: Cornelium falſa, & periculoſa Cypriani ſententia comperta, eam omnino diſſimulaſſe, eoque conſilio rem Eccleſiæ publicam penitus neglexiſſe, ut ne ſuam quoquo modo exturbaret. Eum itaque ad Novatianum libellum ſi Cyprianicum non eſſe per me ipſe probavi, jam Cyprianicum eſſe, vel omnibus ajentibus, per me ipſe nego. At enim cujuſpiam alterius ab Cypriano ſcriptoris eſſe potuit, ejuſdemque Africani. Quid mea ſi vel Romani? Cypriani cauſſam ago, non cujuſlibet incerti, ignotique hominis, ex cujus calamo, ut obiter ita & caſu, aut inconſiderate, duo illa verba *ſoli Eccleſiæ* excidere potuerunt. Poſtremo manet alta mente repoſtum SS. Optati atque Auguſtini judicium de ſingulari Donatiſtarum verſutia, & audacia, qui enimvero uſque adeo auſi ſunt, ut nedum vetera monumenta, quæcunque illi arripere potuerunt, verumetiam Sacras Scripturas contaminarint. Ceterum in iis opuſculis, quæ dubio procul Cyprianica ſunt, [quantum diligenti inquiſitione aſſequi potui,] nihil tale deprehenditur, ne in libris quidem Teſtimoniorum, quorum quinque capita, videlicet 25. 26 27 65. 116. de Baptiſmo agunt, duo vero expreſſe de hæreticis 78. 93. etiamſi ejus ſententiæ inſinuandæ nullus Cypriano appoſitior daretur locus.

II.

II. Consuetudinem rebaptizandi eos, qui ab hæresi ad Catholicam revertebantur perpetuo apud Afros viguisse perspicuum facit Canon VIII. Synodi Arelatensis I. quo ita sancitum est. *De Afris, quod propria lege sua utuntur ut rebaptizent, placuit, ut si ad Ecclesiam aliquis de hæresi venerit, interrogent eum simbolum, & si perviderint eum in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto esse baptizatum, manus ei tantum imponatur, ut accipiat Spiritum Sanctum. Quod si interrogatus non responderit hanc Trinitatem, baptizetur.* Quem canonem ex quibusdam satis antiquis Codicibus Nicolinus, Et Binius exscripserunt. Mos itaque rebaptizandi is erat, qui ab Arelatensi Concilio dici potuerit *lex Afrorum propria*. At ejusmodi non fuisset, nisi ante annos quinquaginta h. e. temporibus Cypriani apud Afros viguisset; viguit igitur.

Neminem unum esse arbitror, qui inficietur, Rebaptismum a Donatistis assertum, a Patribus Arelatensibus certo quodam canone fuisse confictum. Gravissimum testem habemus Augustinum, nec semper falsum Eusebium. Eum vero canonem iisdem prorsus verbis conceptum atque illum exibent nonnulli Codices perantiqui, ac proinde usquequaque inviolatum esse, si dubitem, aut etiam denegem, non injurius fuero; nam Binius, qui indidem exscripsisse putatur non habet *Afris*, sed *Arianis*. Mihi porro neutrum arridet. Non *Arianis* tum quod nusquam legerim, eos rebaptizare consuevisse, quin potius

tius quandoque rebaptizari ob adulteratam evangelicam formam tradit Theodorus Lector lib. 2. Collectan. Et supplementum Gregorii Turonensis cap. 8. nec non Breviarium fidei adversus Arianos apud Sirmondum fol. 132. Tum etiam quod nec Synodus Arelatensis Arianorum res pertractarit, nec Nicæna Donatistarum. Sed ne *Afris* quidem probo ex Harduino ad hunc Canonem, quem sic adnotat. *Neque ullum video appellari codicem, præter unum Silianum, in quo legatur de Afris, quemadmodum Surius edidit, quem Binius, & alii sunt secuti. Tamen in Epist. sinodica de Afris, vel de Africa exibet Codex M.S. Pithoei, qui nunc est Colbertinus* 1951. Quamobrem verosimilius autumo nec *Donatistis* legendum esse; sive quod nondum ea esset Donati pars, quæ ejusmodi notaretur nominatione; sive quod invidioso nomine exasperan da non fuerit, sed magis lenienda, ut synodico judicio ad pacem revocaretur, *cui judicio plurimi ex dissensione consenserunt* ait Aug. in Brevic. Collat. 3. diei cap. 19. Sed in ea sum sententia ut putem, priorem ejus loci partem mutilam esse, atque ita restitui posse. *De iis Afris* qui *propria lege sua utuntur ut rebaptizent*. Nam si *de Afris* omnino legendum sit, atque intelligendum extra Synedochen, non tantum historiæ adversatur, quæ Epistolam profert Constantini Magni ad Chrestum Episcopum Syracusanum apud Eusebium lib. 10. hist. Eccles. cap. 5; sed & ipsis Donatistis, quorum Episcopus, & antiquior Patronus Parmenianus Donati Successor

fatetur ad Arelatense oppidum & Episcopos Judices, & partes ex Africa convenisse, Cæcilianum scilicet, atque Donatistas; ubi omnia suis credidit, qui nihil victi potuerunt nisi de Judicibus conqueri ex Aug. cont. Epist. Parmen. lib. 1. cap. 6. [Ea verba *omnia suis credidit, qui* vel, *cui nihil victi*, corrupta videntur tum in editis, tum in MSS. Codicibus] extat etiam in Codice Theodosiano leg. 4. Honorii lex adversus Rebaptizantes, qui non *Afrorum*, at *Donatistarum* nomine designantur. Donatistæ enimvero *propria lege sua utebantur, ut rebaptizarent*; quibus usque eo placuit pertinax illa de hæreticis rebaptizandis opinio, ut lex accepta fuerit; vel ipso confitente Fortunio Episcopo Donatista, quicum Augustinus palam, sed tamen sedate, ac libenter disceptavit, ut ex Epist. 44. ad Eleus. al. 163. in qua ille hæc sub finem disputationis dixisse narratur. *Ibi plane ille senex dixit jam formam esse factam, ut quisquis ad eos fidelium venerit, baptizetur, quod eum invitum, & cum dolore animi dicere, quantum poterat, apparebat*. Ceterum rebaptizandi ritum temporibus Concilii Arelatensis, neque consuetudinem, neque legem Africæ propriam fuisse, inde liquet, quod rebaptizandi initium factum est a Donato post Cæciliani ordinationem, occasione accepta a traditione Sacrorum Codicum imperante Diocletiano. Quod si Donatus Carthaginiensem Cathedram cupide minus appetiisset, neutiquam tam insolens, tam rabida, tamque perniciosa rebaptizandi libido in Africa emersisset. Icciroo

Au-

Auctor Anonymus libri de Baptismo, quem diu post Cyprianum, & donatiano schismate grassante floruisse animadverti, ritum hunc rebaptizandi in Africam inductum, novum appellat, ac repentinum.

III. Quamquam Anonymum istum, quem nunc meminimus, Cypriano coævum fuisse perperam contendunt viri eruditi non pauci, ex iis tamen, quæ ille tradit, facile intelligitur fama, quæ jam tum constabat, de dissidio Stephanum inter, & Cyprianum super baptismo hæreticorum. Sic enim perhibet. *Si contra priscam, & memorabilem cunctorum emeritorum Sanctorum, & fidelium solennissimam observationem judicatur, damnari utique debet, cum in re olim composita, & ordinata, quodcunque est illud, quod contra Ecclesiarum quietem, atque pacem in medium producatur, nihil præter discordias, & simultates allaturum.* Quorsum vergunt verba illa: *in re olim composita, & ordinata* nisi ad Stephani decretum, & Cypriani repugnantiam?

Huic difficultati brevissime occuri, fortasse etiam satis, Prop. 2. Theor. 4. ubi fuse, atque opportune de hoc Anonymi Tractatu disputatum est; nunc sane latius, ac diligentius est enodanda. Jam illud ibidem animadverti, verba isthæc apte, congruenterque de Arelatensi Concilio explicari posse. Auctor siquidem censet, *in hoc genere quæstionis nulla omnino potuisset controversia, aut disceptatio emergere, si unusquisque nostrum contentus venerabili Ecclesiarum omnium*

auctoritate, nihil innovare gestiret. Frustra quidem hæc referas ad tempus, dissidiumque Cyprianicum, namque omnem ferme Africam catholicæ sententiæ obstitisse opinaris. At commode referas ad Synodum Arelatensem, quam plenariam, atque œcumenicam fuisse abunde probavi in priori dissertatione. Quam Synodum Anonymus respiciens apposite, ita ut vere, objicere potuit Donatistis *venerabilem Ecclesiarum omnium auctoritatem*. Verum quum non semel, nec injuria antea affirmarim, numerum longe majorem Ecclesiarum, quibus ratus erat hæreticorum baptismus universam Ecclesiam Catholicam merito repræsentare; ne plus æquo dubio hujusce Anonymi effato fidere videamur, præstat aliud reponere, longe verosimilius, ejusdemque Anonymi sententiæ magis accomodatum; quod ut clarius fiat, periodus, quæ proxime consequitur exscribenda est; sic vero habet. *Namque omne quod anceps, & ambiguum, & in diversis sententiis prudentium, ac fidelium virorum constitutum est, si contra priscam, & memorabilem cunctorum emeritorum Sanctorum, & fidelium solennissimam observationem judicatur, damnari utique debet, cum in re olim composita, & ordinata &c.* sententia hæc non est nova thesis, sed expositio, & confirmatio assumtionis, quæ proxime antecedit. *Si unusquisque nostrum contentus venerabili Ecclesiarum omnium auctoritate*: Si dicendi copiam spectes, quæ huic Anonymo arridebat, hæc est mera circumlocutio; namque idem prorsus fuit as-

fe-

ſerere *venerabilem Eccleſiarum omnium auctoritatem*, ac *priſcam*, *& memorabilem cunctorum emeritorum Sanctorum*, *& fidelium ſolenniſſimam obſervationem*, cui qui repugnat *damnari utique debet*, *cum in re olim compoſita*, *& ordinata* repugnare non liceat. Proindeque nullum hic diſſidium inter catholicos *olim compoſitum*, atque *ordinatum* appellatur; ſed *venerabilis Eccleſiarum omnium auctoritas*, ſed *priſca*, *& memorabilis cunctorum emeritorum Sanctorum*, *& fidelium ſolenniſſima obſervatio*. Uno verbo ſola conſuetudo appellatur, ſola Apoſtolorum traditio; Non Cypriani, Afrorumque diſſidium, non Stephani contrarietas, ſed ſolenniſſima obſervatio omnium Sanctorum Patrum, qui ab Apoſtolis ad Donatiſtas Eccleſiam adminiſtrarant. Non Romanæ Eccleſiæ, non Tranſmarinarum, ſed *omnium Eccleſiarum* auctoritas appellatur. Quanâm ergo ratione eum locum ad Cypriani Epiſtolas, referas, de quibus, ſi quis apud Afros rumor fuit, hunc Anonymus reapſe deſpexit? ut loco ſuo demonſtravi, tantum ab eſt, ut confirmarit.

IV. Septem illas pro rebaptiſmo Epiſtolas, quæ extant inter Cyprianicas, vere Cypriano adjudicandas eſſe ſtilus arguit plane Cyprianicus; qui propterea in cauſſa fuit Auguſtino Epiſt. 93. ad Vincent. Rogat. al. 48, cur *non neganet illud ſenſiſſe Cyprianum*, *quod & ſtilus ejus babet quamdam propriam faciem*, *qua poſſit agnoſci*. Profecto potiſſimum Criticis ſubſidium ſtilus affert ad vetera monumenta ſuis Auctoribus aſſignanda, &

suppositis inficienda. Quod si non præcipua stili ratio habeatur, continuo pleraque omnia antiquitatis monimenta misceantur oportet.

Nunquam mihi in mentem venit stili robur in rebus criticis infirmare; sed tum demum præcipuam stili rationem habere præstat, quum gravius quiddam non vetat quominus habeatur; videlicet quum locutionis character non refragatur characteri personæ, ut jam adnotavi Axiom. II. ad mentem S. Cypriani. Nam si mihi quidpiam obtrudas Augustiniano stilo compositum, quod Donatianismo; aut quidpiam aliud Athanasiano, quod Arianismo suffragetur; si hoc Athanasio adscribam & illud Augustino, amens sim. Quod enim peculiaris utriusque locutionis character quoquo modo suadet, hoc ipsum multo vehementius, longeque rectius utriusque Personæ character dissuadet. Verum enimvero non magis ab iis hæresibus abhorruerunt Augustinus, atque Athanasius, quam Cyprianus a schismate; ita ut si Cypriani characterismus, [quod ajunt Rhetores,] sit efformandus, profecto non aliunde petendus sit quam ab incredibili, planeque singulari unitatis amore. At Epistola ad Pompejum perspicuo Augustini testimonio *periculum habuit perniciosæ dissensionis*; & reapse tam turbulenta est, tamque seditiosa, ut schismaticum animum vel Augustino tacente, abunde per se ipsa declaret. Quod Augustinus eas literas receperit, prudentis fuit œconomiæ; neque enim easdem recipiendi hæc illi fuit caussa principalis, *quod & stilus ejus habet quamdam pro-*

propriam faciem, qua possit agnosci, sed *& quod ibi magis contra* Donatistas *nostra caussa demonstratur invictior, illorumque separationis præsumtio.* Unam vero, & alteram caussam non magni fecisse, inde liquet, quod e vestigio subtexuit. *Porro autem Cyprianus aut hoc nonsensit omnino... aut hoc postea correxit in regula veritatis... correxisse autem istam sententiam non inveniri*, jam prædixerat ibid. cap. 10; congruentius ergo, & Cypriano honorificentius si dicatur: *Cyprianus non sensisse omnino, quod eum sensisse recitant* Donatistæ. Nam ad stilum quod attinet, non solum Donatistæ homines acuti, vafri, & veteratores, nec omnis dicendi facultatis expertes, Donatus præsertim, eas literas ad Cyprianicum stilum compositas confingere potuerunt; sed & ego, qui sum plane homo nihili, Epistolam Cyprianicæ locutioni respondentem, [audacius dixero, aut confidentius quam deceat hominem ineptissimum,] effingere me posse non diffido.

IV. Si Auctori Epistolæ ad Pompejum, quicunque tandem ille sit, contumaciæ vertis, quod Stephano non obtemperarit; si schismatis suspicioni, quod Stephanum superbum, imperitum, improvidum, ineptum, hæreticorum Patronum appellaverit, quid demum dices de Sancto Columbano Præsbytero Scoto, qui longe vehementiorem, multoque acriorem Epistolam Bonifacio IV. seu verius III. conscripsit. Quod si ingenio rixoso, nec irritato parcis; quidni parcas animo lacessito, ac multimodis exulcerato? Ille ne-

nedum duos Romanos Pontifices, Vigilium, ac Bonifacium, alterum defunctum, superstitem alterum nominatim violavit; verumetiam Cathedram Apostolicam. Non enim tantum dixit: *Vigila Papa, vigila; quia forte non bene vigilavit Vigilius*, sed & illud adjecit. *Doleo de infamia Cathedræ S. Petri*. Tum illud. *Dolendum enim, ac deflendum, si in Sede Apostolica fides catholica non tenetur*. Hic porro unum Stephanum eadem ferme caussa adoritur. Uterque ea libertate, qua nos Christus donavit. Quod si eam Epistolam Sancto Columbano adscribis, cur hanc Cypriano abjudicas? Quamobrem aut utrumque damna, aut utrumque libera.

Equidem si Epistola S. Columbani ad Bonifacium Papam in eodem esset vitio atque Epistola ad Pompejum, nihil quicquam dubitarem utramque abjudicare. Si contra Epistolæ ad Pompejum eadem foret caussa finis atque Epistolæ S. Columbani, libenter utramque, studioseque vendicarem. Verum quum tantum inter unam, & alteram intersit Epistolam, quantum inter fidei studium interest, & schismatis libidinem, non integrum est æqua uti facilitate. Nam si S. Columbani ad Bonifacium Papam Epistolam quaquaversus excutias, nihil deprehendas, quod summum religionis studium, singularem erga Petri Cathedram reverentiam, & præcipuum in Bonifacium amorem non redoleat. En epistolæ inscriptio *Totius Europæ Ecclesiæ capiti, pastorum pastori, Bonifacio Patri Palumbus*,

qui

qui & Columbanus nobis eſt. Si qua vero acerba videntur, atque injurioſa, ſunt enimvero non re, ſed in ſpeciem. Tum quod dubitanter dixerit; *quia forte non bene vigilavit Vigilius;* & conditione appoſita: *Si in Sede Apoſtolica fides Catholica non tenetur... Si vos deviaſtis de veſtra fiducia.* Tum quod non ex ſua, ſed ex aliorum ſententia iſta pronunciavit; ait ſiquidem: *Vigilius, quem caput ſcandali iſti clamant... Multi dubitant de fidei veſtræ puritate.* At qui clamabant? qui dubitabant? Non alii ſane quam ſchiſmatici Iſtriæ, ac Tuſciæ Epiſcopi, qui per ſummam injuriam Bonifacium ipſum, ejuſque Deceſſores Vigilium, ac Pelagium in hæreſis crimen vocabant, quod Synodum V. approbarint, ac Tria illa Capitula rejecerint; tametſi in ea Synodo S. Gregorio Magno perſpicue teſtante Epiſt. 37. lib. 3. *de Perſonis tantummodo, non autem de fide aliquid geſtum eſt.* Quo fit, ut S. Columbanus reapſe improbarit, quod erat maxime probandum; ſed vir alienigena, Orientalium, atque Italicarum rerum minus peritus, de quibus nihil præter auditum habebat, quum in Italia degeret, & crebras in Romanos hoſce Pontifices ab Epiſcopis Schiſmaticis criminationes exaudiret, Religioni duxit Bonifacium admonere, eique denunciare, quantum *dolendum, & deflendum* eſſet, *ſi in Sede Apoſtolica fides Cathoca non teneretur.* At ille nihilo ſecius ita profeſſus eſt. *Ego enim credo ſemper Columnam Eccleſiæ firmam eſſe in Roma.* Demum ſi quid aſperius, & quam par eſt vehementius in his literis occur-

rat, donandum est acri, sed tamen SS.mi Scriptoris ingenio, quem apposite doctissimus Baronius ob invictum animi robur, stilique acrimoniam *Regum terrorem* vocitavit. At Cyprianus mitissimus, & pacatissimus parilem secum conniventiam refugit, ac detestatur. Cujus lenitatem, ac mansuetudinem usqueadeo perspectam habemus, & SS.m Patrum praeconiis comprobatam, ut vel Fellus ipse Demetrianum, qui oblatrare dictus sit a Cypriano, hominem Cypriano amicissimum fuisse dicat; quod omnino Cyprianicæ benignitati adversetur præclaros Viros acerbe accipere. Proh Superum, atque Hominum fidem! Quid hominis est hic Fellus, qui quum de Cypriano cum Demetriano agente tam probe existimasset, tam contra improbe de uno eodemque sentiat Cypriano cum Stephano acerbissime agente. Nisi id est quod suspicor. Haud potuit Cypriani humanitas sibi constare, si parum liberaliter hominem ethnicum in Deum blasphemum, & in Ecclesiam contumeliosum, sed tamen nobilem habuisset. Sibi vero constitit, quum Stephanum virum integerrimum fideique studiosissimum, & quod maxime inrerest, Petri Successorem, indigne adhibuit; perinde ac si sat fuerit Romanum Pontificem dixisse, ut homuncionem dicas, terræque ludibrium. Annon Fellus Suem confert cum Minerva? Anne videt, anne sentit Fellus quam insignem maculam uno hoc, eodemq; tam præpostero judicio Cyprianicæ suavitati inurat? qua item fœda labe suam doctrinam commaculet? quod

tan-

tandem in Cathedram Apostolicam virus evomat acerbitatis suæ? Quamquam non est quod tantopere de Fello conquerar, quandoquidem & Catholici Scriptores Fello adstipulantur; sed illum perfidiæ postulo, hos oscitantiæ; & si dicere fas est, etiam pervicaciæ.

V. Pearsonius ex postremis verbis Epistolæ S. Cypriani ad Martyres in metallo constitutis Pamel. LXXVII. *Ut qui caritatis, & pacis vinculo copulati contra hæreticorum injurias, & pressuras Gentilium simul fletimus, pariter in Regnis cælestibus gaudeamus.* Conjicit To *contra hæreticorum injurias simul fletimus* de abdicato hæreticorum baptismo esse explicanda.

At Pearsonius divinat, nugatur, ac maledicit. Primum divinat, quod ad baptismum hæreticorum traducat, quæ longe commodius hæresi Novatianensi aptari possunt. Tum etiam nugatur, quod ea epistola Cyprianus universam fraternitatem alloquitur, & appellat, Virgines quoque, ac pueros, uti ex contextu; quos tamen si existimemus in partem consilii Episcopalis adversus hæreticorum baptismum fuisse vocatos, perridiculum est; nec video, tametsi vocari potuissent, quo pacto *contra hæreticorum injurias simul fletissent*, nisi forte Pearsonius hæreticorum nomine Stephanum, ceterosque Catholicos Episcopos designari malit, quam Novatianenses. Deinde Cypriano aperte maledicit; cui obstinationem in errore ab universa Ecclesia damnato tacite appingit. Quum enim liqueat, eam epistolam a Cypriano in exsi-

 lio,

lio, & ſub vitæ finem conſcriptam fuiſſe, ut innuunt ea verba: *Niſi me ob confeſſionem nominis relegatum præfiniti termini arcerent*, jam inde conſequitur, iſtiuſmodi errorem cum vita concluſiſſe.

VI. Si acrimonia, & excandeſcentia, quibus Epiſtola ad Pompejum aſperſa eſt, in cauſſa tibi ſunt, cur illam Cyprianicam non facias; quidni Epiſt. ad Jubajanum Cypriano adſcribis? quippe quæ Cypriani modeſtum, temperatumque animum undique referat; & in qua graviſſimo Magni Auguſtini judicio lib. 5. cont. Don. cap. 1. *Tota cauſſa Donatiſtarum penitus naufragavit*: Quam iccirco ſi e medio ſuſtuleris, vide, ne omnium firmiſſimum Catholicorum præſidium de induſtria dejicias, naufragamque Donatiſtarum cauſſam videns, prudenſque reſtaures.

Hujuſce Epiſtolæ auctoritati ſatis me feciſſe arbitror Prop. 5., in qua abunde, [aut ego fallor,] explicui animum Cyprianicum, non quem illa refert, ſed quem præſefert. Contuli cum Epiſtola ad Pompejum; quam collationem ſi mente animoque revolvas, continuo non ſimplicem, non ingenuum Cyprianum habes, ſed magnificum ſponſorem; ſed moleſtum jactatorem. Quod vero totam cauſſam Donatiſtarum in ea Epiſtola naufragare Auguſtinus affirmarit, in hypothetico ſyſtemate hoc dixit, non in abſoluto; namque ad hominem, [quod ajunt,] argumentatur. Quod ſi in abſoluto pronunciaſſet, nihil quicquam de ea dubitaſſet; nec tam Donatiſtarum, quam Cypriani cauſſa, donatianæ firmamentum, naufragaſſet.

Nec

Nec tantum cauſſa, ſed & prudentia, ſed & doctrina; nam apertiſſimæ repugnantiæ in una eademque Epiſtola ab Auguſtino convincitur. Ceterum quum abſolute Auguſtino agendum fuit, invictum, ac munitiſſimum Catholicorum in Donatiſtas propugnaculum, non fuit Epiſtola ad Jubajanum, ſed factum Maximianiſtarum; Hoc ſanequidem Auguſtinus quibuſque Catholicis hunc in modum vehementiſſime commendabat: *Quapropter Cariſſimi, quamquam multis modis convictus error iſte ſuperetur, nec ulla qualicunque ratione; ſed ſola impudentia pertinaci reſiſtere audeat veritati: tamen ne memoriam veſtram documentorum oneret multitudo, hoc unum Maximianiſtarum factum tenete, hoc in eorum fronte configite, hoc eis ad comprimendas doloſas linguas in ora coartate, hoc tanquam tridenti telo velut tricipitem beſtiam eorum calumniam trucidate.* Cont. lit. Petil. lib 2. cap. 27.

VII. Ut donemus ita eſſe ut contendis, Epiſtolam ſcilicet ad Jubajanum commentitiam eſſe, ſi & illud contendas ſuppoſitam eſſe Epiſtolam ad Pompejum, ſuppoſitum Stephani decretum; ſuppoſitas item tres Epiſtolas ad Quinctum, ad Stephanum, ad Magnum, intelligis ne quorſum tua hæc evadat ſeveritas? nimirum, ut tantum deroges Romani Pontificis primatui, quantum illæ deferunt Epiſtolæ; quas propterea Pamelius appoſitas judicavit ad ſummam Apoſtolicæ Sedis auctoritatem confirmandam, præſertim ſi Cyprianicæ ſint, atque habeantur. Quæ ſi corruant,

ruant , & tantum hoc præsidium collabatur oportet.

Huic etiam argumento satis me fecisse arbitror posteriori capite ad Epistolam Firmiliani. Sed in re præsenti tale aliquid repetendum;quidpiam etiam adjiciendum. Certum est illud iterum observare, quicquid emolumenti summæ Romani Pontificis potestati ab hisce literis afferri possit, continuo afferri, tametsi ab hæreticis confictæ dicantur. Perspicuo namque, magnoque argumento sunt, eam fuisse de R.P.IV. Ecclesiæ Sæculo apud Catholicos sententiam, quam ne Donatistæ quidem, Apostolicæ Cathedræ maxime infensi, ausi sunt imminuere; quam ita firmam, ratamque agnoverunt, ut illam Magno Cypriano, quem sibi maximum Patronum adsciverant, adscribere non dubitarint. Verum enimvero commode hic dixerim, nec minus vere cum Trojano illo Laocoonte. *Quicquid id est, timeo Danaos vel dona ferentes*. Inimicorum dona item atque insidiæ suspecta. Equidem satis mirari non possum, plerosq; Controversiarum Magistros,eosque doctiores, ac perspicaciores tam facile monumentis hisce acquiescere; ut satis Romani Pontificis certissimo judicio consultum putent, si unum & alterum Romanum Pontificem de iis erroribus, qui illis vulgo affinguntur, utcumque purgent; ceterum Accusatorum rationem omnino negligant. Nihil ne referre putant ad Apostolicæ Sedis potestatem, Cyprianum SS.^m Episcopum, summumque Doctorem, dogmatico Roma-

mani Pontificis decreto mordicus obſtitiſſe? luculentis ſacrarum Scripturarum teſtimoniis ſerio illud confutaſſe? ſibilis tandem, dicteriis, quin & contumeliis inquinaſſe? Eſto ſane, Stephanum nihil peccaſſe, catholice ſenſiſſe, fidem propugnaſſe, quid porro? Num continuo cauſſa finita eſt? Nequaquam, ſed illud peræque grave definiendum reſtat: an Cyprianus qui repugnavit, exiſtimarit, ſe impune repugnare poſſe? An ineluctabilis, & falli neſcia Romani Pontificis in fidei quæſtionibus decernendis poteſtas, comperta enimvero fuerit Epiſcopis Africæ, Numidiæ, ac Mauritaniæ, qui Synodo Africæ plenaria dogmaticum Stephani decretum expunxerunt, atque exſibilarunt? An tandem ita liceat hoc tempore Epiſcopis Apoſtolicis decretis refragari, ut licuit ſæculo III. SS.mo Epiſcopo Carthaginienſi, quamquam Petri Cathedræ omnium maxime addictiſſimo? Apage a Petri Cathedra ſubſidium iſthuc futile, ac periculoſum: ſuppetias tam præpoſteras Donatiſtis remitte, qui dolis verſandis omnium mortalium aptiſſimi, fecerunt & Marcellinum perfidum, & Cyprianum contumacem; alterum, ut Meltiadis ordinationem irritam facerent: alterum, ut Meltiadis judicio impune reniterentur; utrumque ut ſibi proſpicerent, ut Romani Pontificis judicium, ut Concilii plenarii auctoritatem ſubterfugerent. Quis porro dubitet ejuſcemodi epiſtolas Donatiſtis attribuere, quæ ſi diligentius introſpiciantur, & inanis quædam Cypriani ſtili larva excipiatur, multa

de-

deprehendas quæ Cypriano indigna ſunt, ſed quæ non Donatiſtis. Uno verbo purum putumque deprehendas errorem, ſchiſma, ingeniumque donatianum.

COROLLARIUM GENERALE.

DOnatiſtæ peritiſſimi calumniarum Artifices, nedum veterum monumentorum, ſed & Sacrarum Scripturarum corruptores ad ſuum ſchiſma provehendum Sinueſſanam Synodum confinxerunt, quidni ad ſuam hæreſim ſtabiliendam complures literas ſub S. Cypriani nomine confinxerint?

Auguſtinus diſputans adverſus Donatiſtas refugit factorum diſcuſſionem, quæ ſi quandoque expendenda ſibi ſuſcepit, in hypothetico ſyſteſtemate id egit, non in abſoluto. Suam ipſe perſpicue profitetur hypotheſin. Quum vero ad abſolutum non ſemel vergendum fuit, nunc hanc, nunc illam Cypriani Epiſtolam in ſuſpicionem confictionis adducit. Si ſua mens de Cypriani facto atque Epiſtolis referanda fuit, omnino dubitat, nec ſolus dubitat, ſed cum multis, cum Afris, cum Catholicis; tametſi Epiſtolæ, factumque Cypriani donatianum ſchiſma convellerent, nec admodum emolumenti donatianæ hæreſi afferrent.

S. Cypriani de hæreticis baptizandis ſententia Donatiſtis tum in Romano, tum in Arelatenſi Concilio ita ignota fuit, ac ſi nulla fuiſſet. Quidni vere fuerit nulla? Parmenianus Donatiſtarum Epi-

Episcopus in Sede Carthaginiensi, & suo quidem judicio S. Cypriani successor omnium primus rebaptismum scripto propugnant. Nihil de Cypriano rebaptizante. Optatus Milevitanus Parmenianum refutat; at de tam postmodum jactata Cypriani sententia ne verbum quidem. Silentium hoc tantum, tamque importunum S. Augustini, compluriumque ex Afris Catholicis suspicionem auget de commentitiis S. Cypriani facto, atque Epistolis.

Pontius Cypriani Diaconus nihil de hac Cypriani sententia, nihil de tot ob eam tuendam Conciliis celebratis. Anonymus scriptor sæculi IV. nusquam meminit Cypriani; sed hanc de Rebaptismo sententiam novam, ac repentinam appellat. Eusebius ante omnes loquitur de Cypriano secus a supposito Cypriano. Ruffinus secus ab Afris; atque ab Eusebio. Hæc de Cypriano Rebaptizante historia ab homine Ariano, ac Donatistis fœderato, primo exorta est.

Concilium Carthaginiense III. absurdis abundat; Augustino suspectum, turpi laborat anachronismo. Ejus præfatio disciplinam pessumdat, Ecclesiam perturbat, fidem commaculat. Epistola ad Jubajanum Augustino suspecta. Ejusdem Conclusio scriptoris oscitantiam, mobilitatem, ostentationem, atque imbecillitatem declarat.

Epistola ad Pompejum adeo maledica est, ut probum hominem dedeceat; adeo cum prioribus pugnans, ut virum sibi constantem desideret;

adeo ſeditioſa, ut omnino ſchiſmatico congruat Scriptori, nihil quicquam Catholico Epiſcopo: Reliquæ vero, quæ pro rebaptiſmo, Cypriani nomine afferuntur Epiſtolæ, ita factæ, comparateque ſunt, ut rebaptiſmi obtentu donatianam hæreſim & ſchiſma ſubdole, atque abs re inſinuent.

Momenta quæ pro his Epiſtolis, Conciliiſque Cypriano vendicandis afferi poſſunt aliud nullum firmamentum habent, quam inveteratam credulitatem, ſupinamque inconſiderantiam.

Et hæc ſatis ad Laudem Omnipotentis Dei, ejuſque Matris Immaculatæ, nec non S. Cypriani, quem ex animo oro, atque obteſtor; ne me Clientem ſibi obſequentiſſimum dedignetur, quem ſui Vindicem ineptiſſimum non eſt dedignatus.

FINIS.

NOI REFORMATORI

DELLO STUDIO DI PADOVA.

AVendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approbazione del P. Fra Tomaso Maria Gennari Inquisitore, nel Libro intitolato: *In Epistolam S. Cypriani Episcopi Carthaginiensis ad Pompejum : Dissertatio F. Raymundi Missorii*, non v'esser cos'alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Principi, e buoni costumi; concediamo Licenza a *Francesco Pitteri Stampatore*, che possa esser stampato, osservando gl'ordini in materia di Stampe, e presentando le solite copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. 28 *Marzo* 1733.

[Gio: Francesco Morosini Cav. Ref.
[
[Pietro Grimani Cav. Proc. Ref.

Agostin Gadaldini Segr.

NOS FR. VINCENTIUS.

DE COMITIBUS A BERGOMO ARTIUM, ET SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTOR,

Sanctæ Romanæ & Universalis Inquisitionis Consultor, in Romana Sapientia Theologus Publicus, ac Totius Seraphici Ordinis Minorum Conventualium post S. Patriarcham Franciscum Minister Generalis LXXXIII.

OPus, cui titulus. *In duas Celeberrimas Epistolas, SS.*[m] *Firmiliani, & Cypriani adversus Decretum S. Stephani Papæ I. de non iterando Hæreticorum Baptismo Dissertationes Criticæ Fr. Raymundi Missorii* ab Admodum Rev. Patre Magistro Josepho Maria Platina Theologo Publico Patavino de mandato nostro revisum, examinatum & ut imprimi possit approbatum, quantum ad nos spectat, ut publicæ lucis fiat, facultatem concedimus. Datum in Conventu nostro Civitatis Matheræ in S.[a] Visitatione IV. Id. Decembris.

Fr. Vincentius a Bergomo Minister Generalis.

Locus † Sigilli

Fr. Alexander Terzi Secretarius, & Assistens Ordinis, ac Provincialis Angliæ.